

EXEMPLAR, QUOD TIBI IN MONTE MONSTRATUM EST.

INSPICE ET FAC SECUNDUM

EXOD. C.XXV. VER. XL.



VERDADERA EFIGIE

Del Segundo Ambrolio en Granada, y Segundo Isidoro de Sevilla, Espejo de Iuces Seculares, y Exemplar de Ecclesiasticos Pastores, el Illmo. y V. S.D. Pedro d Castro Vaca, y Quñones Presidente integerimo delas dos Chancillerias de España, Dignissimo Arpo. de Granada, y Sevilla, y Fundador Magnifico dela Ynfirmeria Collegial del Sacro Monte Illipulitano.
Año de 1740.

LVNGO EN





IN NOMINE SANCTISSIMÆ,

ET INDIVIDUÆ TRINITATIS PATRIS,

ET FILII, ET SPIRITUS

SANCTI. AMEN.



OVERINT universi, & singuli hoc
præsens publicum transumpti instru-
mentum visuri, lecturi pariter, &
audituri, quod nos Joannes Domi-
nicus Spinola, Prothonotarius Apos-
tolicus, Sanctissimi Domini nostri
Papæ, necnon Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ ge-
neralis Auditor, Romanæque Curiæ Iudex ordinarius,
sententiarum quoque, & censurarum, tam in eadem
Romana Curiâ quam extra eam latarum, ac litterarum
Apostolicarum quarumcunque universalis, & merus exe-
quitor ab eodem Sanctissimo D. N. Papa specialiter
deputatus, habuimus, vidimus, & diligenter inspeximus
litteras Apostolicas Sanctissimi Domini nostri Domini
Urbani divina providentia Papæ Octavi sub plumbo, u-
moris est legitimè expeditas, non vitiatas, nec cancel-
latas, sed omni prorsus vitio, & suspicione carere, qua-
rum quidem litterarum Apostolicarum tenor talis est

UR:

URBANUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM
Dei , ad perpetuam rei memoriam.

EQuum reputamus , & rationi consonum, ut ea quæ de Romani Pontificis gratia processerunt , licet eius superveniente obitu litteræ Apostolicæ desuper confessæ non fuerint , suum sortiantur effectum. Dudum siquidem postquam venerabilis Frater noster Petrus Archiepiscopus Hispalensis, tunc Ecclesiæ Granatensi præsidens pio devotionis , ac propagandæ religionis zelo ductus in Sacro Illipulitano , seu Vallis-paradisi nuncupato Monte propé , & extra-muros Civitatis Granatensis in cuius visceribns , seu quibusdam illius cavernis, vel cryptis divina permissione , atque indulgentia ossa, & cineres Sanctorum Martyrum Cecilij , Hiscij , Thesiphonis , & Mesithonis discipulorum Sancti Jacobi Cæbedei Apostoli , necnon Patritij , Septentrij , Turilij , Panuntij , Maronij , Centulij , Maximini , & Luparij eorumdem Sanctorum Cecilij , Hiscij , & Thesiphonis discipulorum una cum quibusdam , plumbeis laminis , aut libris praedictos Sanctos Martyres in illo Sacro Monte martyrio coronatos fuisse attestantibus , eorumque cines , & reliquias ostendentibus , & comprobantibus revealata , & comperta fuerant ad Dei omnipotentis gloriam , & in Beatæ Mariæ Virginis, Sanctorumque Martyrum praedictorum honorem , & laudem , necnon de-

votionis Christi fidelium erga eosdem augmentum unam insignem Ecclesiam cum domo aliisque edificiis satis egregia structura, atque eleganti artificio ingenti sumptu suo fundari curaverat, ipsamque Ecclesiam, habita desuper cum viris religione, atque eruditione præstantibus matura deliberatione ordinaria sua auctoritate, ac alias quantum in se fuerat in Collegiatam Ecclesiam sub invocatione Assumptionis eiusdem Beatæ Mariæ Virginis pro uno Abbatे, & viginti Canonicis secularibus, qui capitulariter, ac in claustro ipsius Collegiatæ Ecclesiæ vivere, & nonnullas per dictum Petrum Archiepiscopum tunc editas, & alias postea etiam edendas, eis que tradendas constitutiones servare, & custodire, & apud dictam Collegiatam Ecclesiam personaliter residence tenerentur sub certis tunc expressis modo, & forma exerat, & instituerat, illique sic erectæ, & institutæ pro eius dote ac Abbatis, & Canonicorum prædictorum sustentatione, onerumque illis pro tempore incumbentium supportatione certos redditus annuos ad summam quatuormillium ducatorum monetæ Hispaniarum tunc ascendentæ, ac in quibusdam proprietatibus, & bonis immobilibus, cortiliis, domibus, & censibus consistentes, ex quibus Abbas quinquaginta, & quilibet ex Canonicis prædictis quadraginta ducatos monetæ præfatæ ultra victus, alimenta, medicamenta, & alia necessaria perciperent, animo, & intentione redditus annuos huiusmo-

di usque ad summam sexmillium ducatorum , & etiam ultra augendi , ita quod interim tot Canonici dumtaxat adesse deberent quot ex redditibus quatuormillium ducatorum huiusmodi deductis sumptibus annuis circa fabricæ , & sacristiæ seu ornamentorum pro servitio ejusdem Collegiatæ Ecclesiæ necessariorum manutentionem necessariis substentari possent donaverat , & assignaverat , ac pleraque alia pro manutentione divini cultus in ipsa Collegiata Ecclesia , necnon Abbatis , & Canonicorum , aliorumque ministrorum illius servitio adscriptorum , & adscribendorum disposuerat , & ordinaverat fel. rec. Paulus Papa V. prædecessor noster , pium , & laudabile eiusdem Petri Archiepiscopi in huiusmodi opere aggrediendo , & perficiendo studium propensè voluntatis affectu prosequi volens , supplicationibus sibi desuper pro illius parte porrectis inclinatus novam Ecclesiam prædictam in Collegiatam Ecclesiam , sub invocatione Assumptionis B. Mariæ Virginis præfatæ , cum omnibus Collegialibus insigniis , ac in ea unam Abbatiam sæcularem , quæ in dicta Collegiata Ecclesia dignitas principalis , & unica existeret pro uno Abate seculari , nec non viginti Canonicatus , & totidem Præbendas pro viginti Canonicis similiter secularibus , qui capitulum inter se constituerent , & apud ipsam Collegiatam Ecclesiam personaliter residerent , ac orationem mentalem , nec non maiorem , & privatas Missas , horasque Canonicas

præ-

prædictas facere , decantare , recitare , celebrare , ac alias eidem Collegiatæ Ecclesiæ modo , & forma ad id præscriptis deservire , ac certas regulas eis per dictum Petrum Archiepiscopum propositas , & proponendas ob servare tenerentur Apostolica auctoritate sub certis modo , & forma tunc expressis exerat , & instituerat , eidem que Collegiatæ Ecclesiæ Abbatii , & Canonicis , cæteris , que dictæ Collegiatæ Ecclesiæ ministris , & personis , quod omnibus , & singulis privilegiis , facultatibus , immunitatibus , exemptionibus , præminentibus , antelationibus , concessionibus , indultis , favoribus , & gratiis universis , tam spiritualibus , quam temporalibus alijs similibus Collegiatis Ecclesiis insignibus in Regnis Hispaniarum consistentibus eorumque Abbatibus , Canonicis , aliisque ministris , & personis , ac Christi fidelibus ipsas Ecclesias pro tempore visitantibus etiam per viam communicationis concessis ac quibus illæ , & illi de jure usu , privilegio , & consuetudine , aut alias quomodolibet ute bantur , fruebantur , potiebantur , & gaudebant , ac uti , frui , potiri , & gaudere poterant , & potuissent quomodolibet in futurum similiter , & pari formiter , ac sine ulla prorsus differentia , uti , frui , potiri , & gaudere libere , & licité valerent in omnibus , & per omnia perinde , ac si illa eis specialiter , & nominatim concessa fuissent , etiam quoad capparum nigrarum , & superpel liceorum usum , & delationem , citra tamen facultatem

deferendi almutias perpetuo concesserat , & indulserat.
Et insuper eidem Petro Archiepiscopo quandiu viveret,
etiam si illum ad aliam , seu alias Cathedrales etiam
Metropolitanas Ecclesias quascunque dicta auctoritate
transferri , vel transire contingeret , aut ipse alias dic-
tæ Ecclesiæ Granatensi præserset desineret pro Collegia-
tæ Ecclesiæ huiusmodi , illiusque mensæ Capitularis , ac
rerum , & bonorum temporalium prospero , & fœlici sta-
tu , regimine , gubernio , & administratione , onerumque
illi incumbentium supportatione , necnon super Abbatis ,
& Canonicorum , ac Ministrorum præfectorum receptio-
ne , admissione , & residentia , necnon distributionum
etiam quotidianarum , & manualium , illorumque , & alio-
rum emolumentorum perceptione , divisione , repartitione ,
& amissione , mulctarumque , & aliarum pœnarum per-
absentes , & divinis officiis non interessentes , seu one-
ra eis incumbentia subire negligentes incursu singulo-
rum præsentiis , & absentiis , ceremoniis , & ritibus in
Ecclesia , Choro , Capitulo , & processionibus servandis ,
officialibus , & ministris deputandis , & amovendis servi-
tiis , & ministeriis per eos obeundis , ac quibuscumque
aliis rebus in præmissis , & circa ea quomodolibet ne-
cessariis , & opportunis , quæcumque statuta , ordinatio-
nes , & decreta , licita tamen , & honesta , ac Sacris Ca-
nonibus , & Consilij Tridentini decretis , & constitutio-
nibus Apostolicis non contraria á Romano Pontifice ta-

men

men pro tempore existente, ac Sede prædicta examinanda, & approbanda edendi, ac édita pro temporum, ac rerum varietate, & conditione quoties expediens, & opportunum esse videretur immutandi, limitandi, corrigendi, declarandi, & interpretandi, atque in meliorem formam redigendi, seu alias ut præfertur examinanda, & approbanda de novo etiam ex integro condendi, & per eos ad quos pro tempore spectaret sub pœnis in contravenientes statuendis observari faciendi plenam, ac liberam facultatem dicta Apostolica auctoritate impartitus fuerat, prout in litteris eiusdem Pauli prædecessoris desuper confectis plenius continetur, postmodum rec. mem. Greg. Pap. XV. etiam prædecessori nostro pro parte dicti Petri Archiepiscopi exposito, quod idem Petrus Archiepiscopus, ut pro feliciori dictæ Collegiatæ Ecclesiæ, quam ipse summa veneratione, colere, & pia devotione venerari asserebat progressui, ac divini cultus in ea incremento, ac Abbatis, & Capituli ejusdem Collegiatæ Ecclesiæ, aliorumque illius ministrorum, & Christi fidelium ad eam devotionis causa, confluentium spirituali consolationi eo magis consuleretur, simili deliberatione cum viris pietate, & eruditione insignibus præhabita in vim facultatis sibi desuper per eundem Paulum Prædecessorem, ut præfertur attributæ, & proclariori intelligentia, & declaratione nonnullorum per eum antea præsertim circa distributionem redditus an-

ni sexmillium ducatorum eidem Collegiatæ Ecclesiæ pro illius, ac mensæ Capitularis eiusdem, necnon Abbatis, & singulorum Canonicorum, aliorumque ministeriorum, & personarum prædictorum illius servitio necessariorum dote, & fabricæ ipsius Collegiatæ Ecclesiæ manutentione assignati dispositorum, infrascripta statuta, ordinationes constitutiones, & capitula triginta duos titulos, quorum singuli certum, & distinctum articulorum infrascripta substantialiter complectentium numerum comprehendunt continentia, reservata tamen facultate sibi in dictis litteris concessa illa immutandi, limitandi, corrigendi, declarandi, & interpretandi, illisque addendi, atque etiam in meliorem formam redigendi, seu alia de novo etiam ex integro condendi prævia illorum approbatione à Sede Apostolica prædicta per Abbatem, & Capitulum prædictos, aliosque, quorum tunc intererat, & pro tempore interesset perpetuò, & inviolabiliter observanda ediderat.



TITULUS I. §. I.

De fundatione Ecclesiæ.

V IDELICET, quod ut absolutioni, & manuten-
tioni fabricæ dictæ Collegiatæ Ecclesiæ illiusque
ædificiorum, quæ ut poté in campo aperto, & vertice
montis constructa ac aliis ædificiis carentia, tempestatum
injuriis, & inclemenciam exposita, & nondum absoluta
esse dignoscitur salubri ratione consultum iri possit, de-
inceps quotannis perpetuis futuris temporibus ex annuo
redditu sexmillium ducatorum per eum in limine illius
fundationis eidem Ecclesiæ Collegiatæ pro dote des-
tinato, & subinde integrè assignato quarta illius pars,
neimpè mille & quingentorum ducatorum summa per
Capitulum dictæ Collegiatæ Ecclesiæ seorsum, & sepa-
ratim à residuo reddituum mensæ illius Capitularis ad
Abbatem, & Capitulum ipsius Collegiatæ Ecclesiæ spec-
tantium administranda in manutentionem, & neces-
sarios dictæ fabricæ dumtaxat, & non in alios usus
juxta declarationem inferius titulo decimoquarto de
calculatoribus, seu computatoribus constitutione se-
cunda annotatam converti, & erogari debeat, utque
etiam debonis quæ pro Abbatis singulorumque Canonici-
corum præfectorum sustentatione, & alimentis, ac ubi
infirmitate detenti fuerint medelis, aliisque requisitis,
necnon etiam ad sustentationem, & salario ministrorum

C

pro

pro servitio prefatorum Capituli, & Canonicorum necessariorum, nempé Dispensatoris, Cocorum, Cellarij, vulgo botiller, famulorum illis etiam inservientium, & reliquorum pro servitio domus, ac sustentatione, & usu personarum in communi viventium necessaria fuerint, opportuna ratiene, debitaque moderatione, & ea quæ fieri poterit parsimonia ad hoc ut cononicorum numerus inde augeri, & ad precipuos ipsius Collegiatæ Ecclesiæ fundationis, & institutionis fines perveniri quæat, provideri quoque possit, comperto ex calculo debita attentione, & diligentia facto, quod summa quatuormilium, & quingentorum ducatorum remanens ex Capituli redditibus, redditus sexmillium ducatorum hujusmodi pro sustentatione Abbatis, & Canonicorum detracta mille, & quingentorum ducatorum hujusmodi summa in manuntentionem dictæ fabricæ eroganda ad congruam sustentationem Abbatis, & quatuordecim tantum Canonicorum sufficiat, voluit quod dictus Canonicorum numerus in ipsa Collegiata Ecclesia præter Abbatem manuteneretur, ipseque inde adhibita in hoc ea stricta quæ poterit moderatione, & parsimonia sustentaretur, occurrentes defectus, si non adeò graves fuerint, qui iuxta præsentium constitutionum dispositionem tolerari, & ipsi exinde sustentari non possint, propter Deum ac Sanctos Martyres prædictos patienter sustinendo, atque perferendo, casu tamen quo inde is Canonicorum numerus manuteneri non

pos-

possit eidem Petro Archiepiscopo, & fundatori tantum, non autem aliis illum usque ad numerum convenientem minuere liceat. Cumque non conveniat eam redditus hujusmodi portionem, quæ in victum, & amictum Abbatis, & Canonicorum ejusdem Collegiatæ Ecclesiæ destinata est in usum distributionum quotidianarum, atque manua- lium erogari, & repartiri, attamen quia plurimum servitio ipsius Collegiatæ Ecclesiæ convenire videtur, ut aliqua hujusmodi redditus portio in hunc distributionum quotidianarum usum adscribatur ex aliis redditibus ipsi Collegiatæ Ecclesiæ per dictum Petrum Archiepiscopum eatenus asignatis nonnullæ distributiones, ut infra in titulo distributionum repartiendæ, quæ tertio loco ex redditibus post extractionem partis fabricæ, & Capituli, ut infra dicetur detrahi debeant.

§. II.

Quodque habita consideratione ad tot onera eidem fabricæ incumbentia, & quod illa ex portione mille & quingentorum ducatorum illi ex redditu præfato assignata, ex qua etiam alimenta, seu sustentationes, & salarium Sacristæ, Organistæ, Sceptrifero, quem Pertigerum vulgo vocant, & Præsentori, seu Subcantori, cui regimen Chori in Missarum, divinorumque officiorum celebratione incumbit, necnon sustentationes, distributiones, & manualia, cæteraque alia pro-

sex Capellani ad eorundem divinorum officiorum celebrationem adscriptis, ac decem, & octo adolescentibus Collegialibus Accolitis pro servitio eiusdem Chori, ac Altaris, & celebrationis Missarum in ipsa Collegiata Ecclesia etiam necessariis, ut etiam exinde vivere, & apud eandem Collegiatam Ecclesiam extra mœnia, & in loco inhabitato ut præfertur sitam, ad quam ex Civitate ipsi adolescentes non sine incommode, & ministeriorum suorum in ipsius Collegiatæ Ecclesiæ servitij defecitu evocari possunt, residere valeant, debita detrahenda etiam veniunt, vix commode supportari poterant. Dictus Petrus Archiepiscopus etiam ipsi fabricæ aliunde juxta piam illius intentionem de competentibus redditibus, quo eidem Collegiatæ Ecclesiæ decentius inserviri, divinaque officia in ea exactè celebrari, aliavé onera Capitulo, & Canonicis incumbentia ad Dei servitium, & gloriam, eorumdemque Sanctorum Martyrum honorem, ut par est, supportari valerent, providere volens, eidem fabricæ aliam particularem donationem quarundam pecuniarum, & granii ad hoc ut exinde aliæ proprietates, aut alia bona stabilia anni redditus aliorum mille & quingentorum ducatorum parium pro eadem fabrica acquirantur fecerat, & decreverat quod posteriora bona præfata essent pro ipsa fabrica acquisita, seu acquirenda pro onerum illi pro tempore incumbentium supportatione ultra redditum mille, & quingentorum ducatorum illi ex primo dicto

annuo redditu assignanda liberè remaneant. Ita quod fabrica ipsa in totum annum, & perpetuum redditum trummillium ducatorum habeat ex præcipuis, certioribusque, & securioribus ipsius Ecclesiæ Collegiatæ redditibus ad eam tunc, & pro tempore pertinentibus tanquam pro conservatione, manutentione, & ornatu ipsius Collegiatæ Ecclesiæ magis privilegiata, & necessaria primi-
tus etiam retineat, & percipiat, ipsiusque fabricæ red-
ditus modo in titulo quartodecimo calculatorum, & com-
putatorum inferius designato administrari, & distribui
debeant.

§. III.

Quodque etiam, ut Cononici, qui Collegialiter, & in communi vivere debent, quorumque principale institutum in hoc esse debet, ut vitam spiritua-lem, & contemplativam, sive reformatam agant in piis exercitiis ad animarum Christi fidelium salutem, tam circa missiones, quam Sacramentorum Sanctorum admini-
strationem tendentibus, ut etiam infra in titulo obli-
gationum atque exercitorum Abbatis, & Canonicorum continetur, se se exercere valeant, & ad id viri exem-
plares, prout desiderantur; ob periculum admissionis Ca-
nonicorum quorum vita, & mores particulariter optime antea explorati, & comprobati, & qui in vita Collegia-
ti, & communi probati antea non fuerint, eo maximè

D

quod

quod ad hoc etiam quædam particulares qualitates, aut conditiones, animique propensiones , sive inclinationes requirantur ad evitandas difficultates , quæ post eorum admissionem circa illorum exclusionem, si debitum hisce qualitatibus prædicti comperti postea non forent , eaque etiam via tanquam efficacissima ad ipsius Collegiatæ Ecclesiæ conservationem quoad fines, & instituta à principio circa illius fundationem electa: quod scilicet qui ad **Canonicatus**, & **Præbendas** eiusdem Collegiatæ Ecclesiæ admittendi erant prius in hoc instituto , & vivendi modo probari debeant assumi possint , eaque ratione divini cultus incremento , ipsiusque Collegiatæ Ecclesiæ, & personarum illius servitio adscriptarum tranquilitati consultumiri possit; in ipsa Callegiata Ecclesia ad illius **Canonicatus** , & prebendas illi , qui antea in hujusmodi institutione , & vivendi modo probati , & experti quoque fuerint admittantur; quod præter Abbatem, & quatuordecim Canonicos, qui tunc ex annuo redditu quatuor millium , & quingentorum ducatorum huiusmodi apud ipsam Collegiatam Ecclesiam sustentari possunt, in ea duo Clerici ex aliis redditibus ad hunc effectum , & ad alios hospites , qui pro tempore fuerint in dicto Sacro Monte iuxta modum inferius in titulo probationis constitutione sexta , ex alia particulari donatione per dictum Petrum Archiepiscopum eidem Collegiatæ Ecclesiæ facta acquirendis sustententur , manuteneantur in conti-

nua probatione, & prefatæ Collegiatæ Ecclesiæ servitio in ipso Monte insistant, ut ad Canonicatus, & præbendas ejusdem Collegiatæ Ecclesiæ subinde pro tempore vacatuos, modo inferius in officio approbationis declarando, eligi possint.

§. IV.

Quodque præterea in conformitatem dicti Concilij Tridentini decretorum super erectione Seminariorum puerorum Ecclesiasticorum decem, & octo adolescentes Ecclesiastici, & Accoliti in ipso Sacro Monte pro illius, & præfatæ Collegiatæ Ecclesiæ servitio manutenenendi separatim, & in loco ab habitatione Canonicorum distincto, & separato, ne illis circa piorum exercitorum, in quibus occupari debent impedimento sint, vivere debeant, & peracto eorum ministerio reliquum tempus in litterarum studiis facultatibusque utilibus, & necessariis insumant, ut probi Clerici evadant, & in aliis Ecclesiæ ministeriis, ut poste in hac vivendi norma ab ineunte ætate educati illiusque studiosi, ac ad eam propensi probati, & exercitati utiliores, ac etiam ad Capellanorum munia, necnon ad ipsius Collegiatæ Ecclesiæ Canonicatus, & Prebendas aliquando habiles redditantur, & ad illos etiam eligi, & assumi possint, utque quo major eorum numerus, ad hunc finem educatus fuerit, & ipsi plures etiam extiterint eo diligenterius

tius in litterarum studiis sese exercere proculdubio stu-
deant, & repartitis inter se eorum ministeriorum, &
servitij ipsius Collegiatæ Ecclesiæ obligationibus illæ me-
lius quoque adimpleantur, & ipsi etiam libiores ad
sua studia in divini cultus augmentum remaneant; præ-
ter prædictos decem, & octo Ecclesiasticos adolescentes
Accolitos, ex redditibus fabricæ ipsius Collegiatæ Ec-
clesiæ destinatis manutenendos, & sustentandos, alij
duodecim, qui una cum aliis prædictis numerum trige-
narium constituant, & ex residuo reddituum pro ma-
nutentione duorum Clericorum in probatione huiusmodi
existentium acquisitorum, seu acquirendorum ex donatio-
nibus pecuniarum, & grani eidem Collegiatæ Ecclesiæ
ad hunc effectum factis usque ad huiusmodi numerum
si fieri poterit, sim minus usque ad numerum, qui
exinde manuteneri possit, servato ordine inferius in ti-
tulo Collegialium expresso manuteneri debeant.

§. V.

Distributio autem illorum, seu cumuli totius reddi-
tus eatenus eidem Collegiatæ Ecclesiæ per dic-
tum Petrum Archiæpiscopum assignati, hoc modo; quod
scilicet in primis summa triummillium ducatorum pro ip-
sa fabrica, et usque usibus, & obligationibus residuo pro
mensa capitulari remanente inde detrahi, ex portione

verò pro eadem mensa capitulari remanente, secundo loco , quod pro Abbatis , & quatuordecim Canonicorum sustentatione , & vestuario , & deinde tertio loco , quod pro usu distributionum, ac quarto loco, quod pro dictarum personarum in probatione existentium, & hospitum, & quinto ac postremo loco , quod pro posteriorum duodecim Ecclesiasticorum adolescentium sive Collegialium manutentione necessarium erit , ita tamen quod redditibus huiusmodi non suppetentibus , eorum numerus proportionabiliter minui possit prædictorum quoque decem, & octo adolescentium, seu Collegialium Ecclesiasticorum numerus ex portione reddituum fabricæ prædictæ assignata manutenendus , si aliis eiusdem fabricæ usibus , & necessitatibus magis urgentibus supportatis , & detracta aliorum ministrorum sustentatione , illa ad id satis non fuerit diminui quoque valeat. Si verò redditus hujusmodi aliquando incrementum susceperint , illorum augmentum hujusmodi primo loco ad ampliorem Canonicorum numerum , & proportionabiliter usque ad numeri vicenarij complementum in primæva ipsius Collegiatæ Ecclesiæ fundatione determinatum, manutentionem, & sustentationem, nisi aliæ donationes, & redditus per eundem Petrum Archiepiscopum, aut quamcumque aliam personam prædictæ Collegiatæ Ecclesiæ ad quemcunque alium finem specialiter assignentur , qui ad usus pro quibus assignati fuerint omnino applicari debeant.

§. VI.

Tpsaque Collegiata Ecclesia sic fundata , & ut præfer-
tur, vel alias melius in posterum dotata in ipso sta-
tu juxta præsentium constitutionum aut quarumvis alia-
rum deinceps per dictum Petrum Archiepiscopum pro
tempore edendarum formam perpetuis futuris tempori-
bus permaneat, absque eo quod hic status atque reddi-
tuum distributio , & dispositio huiusmodi per tunc, seu
pro tempore existentem Archiepiscopum Granatensem, aut
Decanum, & Capitulum dictæ Ecclesiæ Granatensis, illius
Sede Archiepiscopali vacante , aut quemcumque alium
Prælatum Ecclesiasticum , vel quamcumque aliam perso-
nam alterari , immutari , nec ipsa Collegiata Ecclesia al-
teri sacerulari , vel regulari Ecclesiæ, Conventui, sive Mo-
nasterio uniri , nec illius bona dividi , dismembrari, aut
in toto , vel parte cuicunque operi vel loco quantumvis
etiam magis pio , & privilegiato quavis causa sive tra-
ditione etiam motu proprio , neque ad cuiusvis per-
sonæ etiam regiæ , aut quacunque alia dignita-
te fungentis instantiam appli-
cari possit.

TITULUS II. §. I.

De Reliquiis, Libris, & Laminis Sacri Montis.

Cumque causa principalis, quæ dictum Petrum Archiepiscopum ad fundationem, & constitutionem dictæ Collegiatæ Ecclesiæ moverat, fuisse ipsum Sacrum Montem in quo præfati Martyres martyrij palmam sunt consequuti Omnipotenti Deo, & eisdem Sanctis Martyribus dedicare ut in eo tanquam loco ad id divina prævidentia tot ante secula, ut conjicere licet prædestinato, eorum Sacrosanctæ reliquiæ, libri, & laminæ huiusmodi perpetuo conserventur, & quia rationi consentaneum est quod in ea semper remaneant, dictus Petrus Archiepiscopus juxta dispositum per supradictas litteras Apostolicas confirmationis, & erectionis dictæ Collegiatæ Ecclesiæ voluerat, quod prædictæ Reliquiæ in eadem Collegiata Ecclesia ac in eodem loco, ac sub eadem custodia prout tunc erant perpetuis futuris temporibus custodiantur, videlicet super Altari maiori illarum maior pars in quibusdam Urnis lapideis incorporatis retabulo, Reliquæ verò in quodam Reliquiario ad latu Epistolæ duplici sera, cuius Abbas unam, Thesaurarius verò dictæ Collegiatæ Ecclesiæ si fuerit Canonicus, sinminus antiquior Canonicus pro tempore existentes alteram, claves perpetuò retineant, & aliqua pars harum Reliquiarum in Sacrario, aut alio decenti loco sub ipsorum custodia

reponi poterit , libri verò , & laminæ plumbeæ in altero ad latus Evangelij in eodem retabulo existente Reliquario quadruplici sera obserato , cuius una Regi , eiusque nomine Presidenti Regiæ Cancellariæ Granatensis , & alia Archiepiscopo Granatensi , aliaque Abbatи dictæ Ecclesiæ Collegiatæ pro tempore existentibus , reliqua verò claves præfatæ Civitati Granatensi in illius Consilio , aut Senatu , nisi secus per dictum Petrum Archiepiscopum dispositum fuerit per Capitulum dictæ Collegiatæ Ecclesiæ consignari debeant.

§. II.

Neque Reliquiæ , libri , & laminæ hujusmodi , aut eorum pars aliqua ex ipsa Collegiata Ecelesia ad quemcumque finem , nec intuitu cuiusvis personæ in quacunque etiam quantumvis suprēma dignitate Ecclesiastica , vel temporali constitutæ , ullo unquam tempore extrahi possint , atque ut id melius observetur Abbas , & singuli Canonici dictæ Collegiatæ Ecclesiæ in actu eorum receptionis hujuscē constitutio-
nis inviolabilem observantiam ju-
zidiciori ex officiis restringere teneantur.

TITULUS III. §. I.

De Approbatione.

Cumque etiam in constitutione tertia primi tituli causum sit, quod duo Clerici in continua probatione existant, qui ad Canonicatus, & Præbendas pro tempore vacantes eligi possint, ipse Petrus Archiepiscopus voluerat, quod qui in huiusmodi probatione pro tempore admittendi fuerint in Presbyteratus ordine, vel saltem legitima ætate, & dispositione ad illum infra annum suscipiendum constituti esse debeant. Et si quis eorum ad dictum presbyteratus ordinem infra annum prædictum promotus non fuerit, in Canonicum eligi non possit donec presbyter fiat, & ea etiam cum eis diligentia, & inquisitio generis abhibenda sit, quæ cum his, qui ad Canonicatus, & Præbendas dictæ Ecclesiæ erunt recipiendi adhiberi debeat.

§. II.

Quodque præterea sic ad probationem recepti statim ad Sacrum Montem prædictum accedere, & apud ipsam Collegiatam Ecclesiam ad instar Canonicorum residere, divinisque officiis, & piis exercitiis in ipsa Ecclesia interesse, & sustentari, necnon vestuario, & distributionibus modo, & forma in titulo distributionum declarando gaudere, & sub obedientia Abbatis prout ipsi Canonici permanere debeant, sed aliquod particulare ip-

sius Ecclesiæ officium , præterquam in defectum Canonorum ad illorum exercitia , & non nisi ad effectum hujusmodi ab ipso Capitulo capitulariter Abate , sive Præsidente , & tribus ex quatuor Capituli partibus convenientibus electi fuerint , exercendum admitti non possint , neque vocem in Capitulo habeant , nec etiam in Præsidentes eligi possint .

§. III.

Capitulum quoque , & Canonici præfati post sex menses à die receptionis , seu admissionis cuiuslibet eorum , quos ad probationem ut præfertur admitti contigerit , & deinceps singulis quoque sex mensibus insimul ad tractandum si hujusmodi eorum probatio sit continuanda necne , per suffragia , vel vota secreta , nempe per fabas albas , & nigras convenire debeant , & id quod à majori parte resolutum fuerit exequi beat : & si ante tempus sex mensium hujusmodi occasione alicuius particularis eventus Abati , vel Præsidenti visum fuerit super alicuius exclusione esse tractandum , Capitulum , & Canonici insimul capitulariter congregati desuper tractare , & inquisita desuper veritate ad paria suffragia , modo quo supra procedant .

§. IV.

Et occurrente alicuius Canonicatus , & Præbendæ dicæ Collegiatæ Ecclesiæ vacatione , ipsi ad proba-

tio-

tionem sic admissi anno probationis elapso ad illos sic vacantes eligi debeant. Si vero in probatione per annum nondum permanserint, in voluntate sit Capituli ex illis vel ex aliis eligere.

§. V.

ATQUE quando exclusionis alicujus eorum aderit legitima causa, id cum debita charitate, & secretō tractari, & deinde Capituli resolutio ei notificari, terminusque decem dierum, infra quem deliberare possit, si licentiam relinquendi probationem postulare velit, sumpcio eo colore, quem ejus honori, & famae magis convenire iudicaverit praefigi debeat.

§. VI.

QUODQUE Abbatii, & Canonicis predictis liceat alias personas eis benē visas in hospites in dicta Collegiata Ecclesia admittere, quae in hospites probationis, sive Canonicos, vel Capellanos postea eligi possint ad illos tractandos, & explorandos, dummodo tamen major pars Capituli in hoc conveniat, & personæ huiusmodi numerum duorum non excedant, & ultra duos menses non retineantur, eisque interim victus tantummodo cum ipsis Canonicis, & nihil ultra subminisrandus sit.

TITULUS IV. §. I.

*De Electione, & provisione Abbatis, Canonicorum,
Capellanorum, Collegialium, & aliorum Minis-
trorum dictæ Ecclesiæ.*

Insuper cum præsentatio, provisio, nominatio, vel elec-
tio, Abbatis, Canonicorum, Capellanorum, Collegia-
lium, & aliorum Ministrorum dictæ Collegiatæ Ecclesiæ ad
dictum Petrum Archiepiscopum quandiu viveret, cum hoc
tamen, quod persona sic præsentata, seu nominata, vel elec-
ta litteras provisionis Abbatiae huiusmodi à Sede Apostoli-
ca præfata infra certum tempus impetrare debeat, collatio
etiam decem ex supradictis viginti Canonicatibus, &
Præbendis pro prima vice à primæva erectione ad dictum
Paulum predecessorem, & Sedem Apostolicam prædictam,
ad nominationem tamen prædicti Petri Archiepiscopi,
prout in litteris Apostolicis prædictis spectaret, & per-
tineret, de reliquis autem Canonicatibus, & Præbendis
prædictis dictus Petrus Archiepiscopus liberè disponere
posset. In posterum autem quotiescumque viginti Ca-
nonicatus, & Præbendæ huiusmodi seu eorum aliqui in
Januarij, Martij, Maij, Julij, Septembbris, atque No-
vembris quibusvis modis, & ex quorumcunque perso-
nis vacarent, illorum collatio, & provisio ad Roma-
num Pontificem pro tempore existentem prævia nomi-
natione seu electione dicti Petri Archiepiscopi vel Ca-

pi-

pituli prædictorum , in reliquis verò sex mensibus ad dictum Petrum Archiepiscopum quandiu viveret , ipso autem ab humanis exempto ad Abbatem , seu , dicta Abbatia legitimo possessore destituta , ad Archiepiscopum Granatensem , pro tempore existentes similitè ad nominationem Capituli vel Canonicorum prædictorum ex eiusdem Pauli predecessoris indulto spectaret , & pertineret , & dictus Petrus Archiepiscopus vigore indulti huiusmodi ad Abbatiam , prædictam Petrum de Avila , & ad unum , & unam Augustinum Manrique , atque ad alium , & aliam Andræam Sarmiento , ac ad alium , & aliam Bartholomeum de Torres , atque ad alium , & aliam Andræam de Velasco , atque ad alium , & aliam Ioannem de la Fuente , necnon ad alium , & aliam Petrum de Santiago , ac ad alium , & aliam Franciscum de Barahona , & ad alium , & aliam Andræam de Valdes , ac ad alium , & aliam Antonium Merino , & ad alium , & aliam Ioannem de Estrada , & ad alium , & aliam Paulum de Valencia , & ad alium , & aliam Franciscum Hurtado , ac ad alium , & aliam Gabrielem de Ledesma Presbyteros , dilectos filios nominavisset , aut brevi nominaturus esset ; ad reliquum , & reliquam ex quatuordecim Canonicatis , & Præbendis , qui quatuordecim tunc temporis in dicta Collegiata Ecclesia existere , & sustentari poterant : & dictus Petrus de Avila in vim præsentationis , seu nominationis , vel electionis huius-

modi sibi de Abbatia per eundem Paulum predecessorem provideri obtinuisse, dictusque Petrus Archiepiscopus Augustinum Manrique, ac Andræam Sarmiento, necnon Bartholomeum Torres, ac Andræam de Velasco, & Joannem de la Fuente, ac Petrum de Santiago, necnon Ioannem de Estrada, & Paulum de Valencia, ac Gabrielem de Ledesma, necnon Franciscum de Barahona supra dictos ad decem ex quatuordecim Canonicatibus, & Præbendis huiusmodi eidem Paolo prædecessori, sub conditione quod ipsi, & eorum singuli, cæterique alij deinceps per eundem Petrum Archiepiscopum, aut Capitulum huiusmodi, ut dictum est, respectivè nominati vel electi ad Canonicatus, & Præbendas pro tempore vacantes in sex mensibus Romano Pontifici præfato reservatis, provisiones desuper in vim præsentationis, seu nominationis, aut electionis huiusmodi ab eodem Paulo prædecessore, seu Romano Pontifice pro tempore existente infra debitum tempus impetrare, & obtainere tenerentur, præsentavisset, seu nominavisset, vel elegisset: quodque ipsi, eorumque singuli non nisi cum litteris Apostolicis suarum provisionum hujusmodi in dicta Ecclesia Collegiata in Canonicos recipi, seu admitti possent, reservata sibi reliquorum usque ad viginti Canoniciatum, & præbendarum prima provisione quandocunque ad id redditus suppeterent, quorum prima provisio, & collatio, si dum vixisset facta non fuisset, ad Abbatem,

&

& Capitulum dictæ Collegiatæ Ecclesiæ pari forma , &
simili modo liberé spectabit , & pertinebit.

§. II.

Necnon quod etiam servata litterarum erectionis hujusmodi forma, post dicti Petri Archiepiscopi obitum occurrente quandocumque etiam in mensibus Sedi Apostolicæ præfatæ, sive alias reservatis, Abbatiae, & singularum Canonicatum, & Præbendarum hujusmodi vacatione, aut adveniente casu augmenti aliquorum ex sex Canonicatibus , & præbendis pro complemento numeri viginti Canonicatum , & præbendarum in dicta Collegiata Ecclesia erectorum deficientibus, & de quibus modo ex defectu competentium reddituum non providebatur , Abbas cæterique Canonici personas idoneas ad illos nominare debeant , ad Abbatiam vero unus ex Canonicis de gremio Capituli, & non alia quæcunque persona extranea , & cuiuscunque præminentie, & ad Canonicatus , & præbendas pro tempore vacantes personæ , quæ in probatione per annum integrum perseveraverint , & non alię eligi debeant ; liceatque etiam in defectum eorum qui per annum in probatione non fuerint , eos qui breviori tempore in ipsa probatione steterint , aut etiam extraneas personas , quæ in hujusmodi probatione non fuerint, idoneas tamen , & in quibus debitæ qualitates ad ipsius Ecclesiæ Collegiatæ instituta observanda con-

cur-

currant, eorum arbitrio eligere , aut providere, onerata
graviter desuper eorum conscientia quibuscumque affec-
tibus, & respectibus humanis , & temporalibus postposi-
tis, prestitoque prius etiam per eos quando ad hoc con-
gregati fuerint desuper juramento.

§. III.

ET quia ipsamet experientia docuit quam gravia dam-
na, & inquietudines in similibus Congregationibus,
& Communitatibus ex societate infimorum hominum
maxime ex Iudæorum , maurorum , & pœnitentiatorum
in officio Sanctæ Inquisitionis hæreticæ pravitatis inqui-
sitorum genere descendentium , aut alias originem tra-
hentium generentur , & ideo non conveniat , ut in tam
insigni Ecclesia similes personæ tali labe , per eos, vel
eorum parentes , avos , seu alios antecessores contracta
pollutæ sive maculatæ admittantur , nullus aliqua simili
labe pollutus ullo unquam tempore eligi , aut in ipsa
Collegiata Ecclesia in Canonicum , hospitem probationis,
Capellatum , vel Collegiale recipi sive admitti possit,
& ut personas sic assumendas simili labe carere consta-
re possit , ipsi Abbas , & Canonici diligenter inquirant,
& extrajudicialem informationem ex personis fidedignis de
qualitatibus recipiendorum , & admittendorum sumere
procurent , personamque de Sacro Monte huiusmodi ad

in-

informationem destinare, sive personas assumendas ordinario remittere seu delegare possint, prout magis expediens ipsi Capitulo videbitur, fiat etiam huiusmodi inquisitio sumptibus personae de cuius vita, & moribus inquiri debet sumenda, clausaque, atque sigilata in pleno Capitulo tempore quo negotium electionis huiusmodi tractandum erit legi, & publicari debeat, & non rumoribus inanibus, sed tantum certiori informationi attendatur, & quoad Collegiales inquisitio extrajudicialis sufficiat.

§. IV.

Adveniente vero vacatione Abbatiae, aut singulorum Canonicatum, & Prebendarum, aut aliquius loci probationis, Capitulum infra triduum a die habitae notitiae vacationis huiusmodi prævia intimatione die præcedenti facienda, quod de provisione vacationis hujusmodi sit in eo tractandum, congregari debeat; & in eo Abbas sive Canonici absentes vocentur, & si Abbas ab ipso Monte itinere quadraginta leucarum absens fuerit, spatio triginta, & singuli Canonici si itinere duodecim leucarum spacio decem dierum a die notificationis computandorum expectari debeant quibus terminis elapsis, & a die vacationis Abbatiae, aut Canonicatus, & Præbendæ efluxis triginta diebus, a die vero vacationis loci probationis, aut deficiente persona præcipue eligenda, nonaginta in sequentem diem ad futuram electionem

Capitulum convocabitur in loco suo solito , ipsoque hora designata congregato , Missa quoque de Spiritu Sancto per Abbatem , sive Præsidentem coram Capitulo celebrata , hymnus veni creator Spiritus cum oratione Spiritus Sancti , & Immaculatæ Conceptionis Beatae Mariæ Virginis , necnon dictorum Sanctorum Martyrum in hora orationis recitari debeat , hisque peractis , ac lecta , & publicata informatione puritatis sanguinis sive originis eligendorum , statim ad electionem eorum dumtaxat solum , qui informationes suas exhibuerint , nisi eligendorum qualitates toti ipsi Capitulo notoriæ fuerint procedendum erit , & ipsa electio per secreta suffragia seu vota datis per Secretarium in cedulis singulis præbendatis oppositorum nominibus , cum quibus Canonici sua suffragia , seu vota mittendo in Urnam , seu pixidem coram Abate , seu Presidente in præsentia Secretarij nomem personæ pro qua suffragium , sive votum suum ferre voluerint dabunt , latusque ab omnibus suis suffragiis , aut votis , Abbas , vel Præsidens cum Secretarij prædicti assistentia connumeratis suffragiis , seu votis , is pro electo habeatur , qui maiorem votorum Canonicorum in Capitulo existentium partem obtinuerit ; quod si vota seu suffragia ita divisa fuerint , ut nullus majorem partem habeat , secundum , & novum fiat eorum dumtaxat , qui paribus , aut pluribus votorum suffragiis suffulti extinterint scrutinium , & super eorum electione rursus eodem modo procedi debeat , quod

si

si denuo uterque eorum paria suffragia reportaverit, si electio pro Abbatia , aut Canonicatu , & præbenda vel loco probationis Abbate absente fiat, conscriptis oppositorum paria vota , & suffragia habentium nominibus in duabus cedulis , illisque in aliquo vasè , in quo discerni non possint , positis , decantata ab omnibus genuflexis Antiphona : Tu Domine , qui nosti corda hominum ostende quem elegeris ex his duobus unum accipere locum ministerij hujus , tunc novissimus Canonicus in Capitulo præsens alteram ex cedulis è vasè extrahere debeat, isque cuius nomen in ipsa cedula conscriptum erit pro electo habeatur ; si vero Abbas electioni interfuerit in casu paritatis votorum , & suffragiorum , ille pro quo ipse votum seu suffragium tulerit , prævia ejus voti seu suffragij per eum facienda publicatione ad hoc ut clare constare possit pro quo ipse votum, seu suffragium suum dederit , electus censeatur , & absoluta electione omnes votorum , & suffragiorum cedulæ in præsentia totius Capituli comburi debeant : nec quisquam in Canonicum seu hospitem probationis , vel Capellatum eligi possit , nisi Presbyter, aut in ea saltem etate , & dispositione quod infra annum ad Presbyteratus ordinem promoveri possit, constitutus fuerit , & si quis in presbyteratus ordine non constitutus electus fuerit , ipse ad eundem presbyteratus ordinem infra annum hujusmodi se promoveri facere omnino teneatur , alioquin Canonicatu , & Præbenda aut

loco probationis seu Capellania, ad quam electus fuerit ut præfertur, eo ipso privatus existat, & alia nova provisio, seu electio fiat, nisi ex juxta, & rationabili causa capitulariter a tribus ex quatuor ipsius Capituli partibus approbanda secus visum fuerit, eoque casu tempus hujusmodi ad alium annum sibi prorrogari, & extendi debeat.

§. V.

ET occurrente alicuius ex præbendis, seu locis probationis vacatione, neque Abbatii, neque alicui ex Canonicis ante electionem ab ipso Monte recedere liceat, præterquam ex causa urgentissima, & a Capitulo approbanda, quæ non impedit tempore electionis ad ipsum Sacrum Montem redire. Isque etiam qui sic post hujusmodi vacationem ab ipso Monte recesserit amplius ad electionem vocari neque præstolari debeat.

§. VI.

Peracta autem electione modo quo supra illius decreta seū testimonium electo dari debeat ad hoc ut sibi Abbatia, vel Canonicatus, & præbenda qui in aliquo ex mensibus Sedi Apostolicæ prædictæ ut præferatur reservatis vacaverint, Abbatiae, seu Canonicatus, & Præbendæ hujusmodi provisionem a Sede Apostolica prædicta obtinere teneatur. Si verò Canonicatus, & Præbendæ vacantes in mense Capituli vacaverint Abbas ei-

dem

dem electo Canonicatum, & Præbendam sic vacantes, aut ipsa Abbatia vacante Archiepiscopus Granatensis pro tempore existens illam sic etiam vacantem conferre teneatur, factaque canonica collatione Abbas cum litteris Apostolicis iuramentum in fine harum constitutionum insertum in Archiepiscopi Granatensis, singuli verò Canonicici in Abbatis, vel Præsidentis Capituli pro tempore existentium manibus in præsentia Capituli ad hoc convocati præstare teneantur: Idem etiam juramentum à Cappellanis quoque ad hoc ut recipientur præstari debet, illoque ab eis sic præstito in possessionem suæ præbendæ induci, & Abbas in sua, & Canonicus recipiendus in novissima Chori Sede collocari debeant, & statim quo Abbas ipsius Abbatiae possessionem fuerit assequutus, Canonicatus, & præbenda per eum antea obtenti eo ipso vacent, & vacare censeantur.

§. VII.

Itteræ quoque singularum provisionum tam Abbatiae quam singulorum Canonicatum, & præbendarum Sedis Apostolicæ præfatæ dispositioni pro tempore reservatorum sumptibus mensæ Capitularis dictæ Collegiatæ Ecclesiæ, ex cuius redditibus jura, & sumptus circa illius expeditionem necesarij persolvantur, expendi debeat: Capitulum quoque curam expeditionis ea runderem suscipere, & provisus litteras ipsas è manibus ipsius Capituli recipere teneantur. I Et

§. VIII.

ET ut etiam ad huiusmodi electionem liberius, & tranquillus procedi possit, quod adveniente aliquorum ex Canonicatibus, & Præbendis dictæ Collegiatæ Ecclesiæ vacatione, hospites, seu personæ tunc in probatione in Sacro Monte huiusmodi existentes infra triduum à die vacationis ab ipso Monte recedere, nec ad illum donec ipsa electio facta, & absoluta fuerit redire queant; occurrente verò Abbatiae aut Canonicatus, & præbendæ, vel loci probationis, aut Capellaniæ, vel alterius officii, aut Collegiaturæ vacatione, Abbas, sive Præsidens, quod inter Canonicos cessent disceptationes, vel negotiationes super provisionibus ad evitandas divisiones, & concurrentias, etiam ad hoc ut electio-nes maiori quiete fieri possint, procurare etiam te-neantur.

TITULUS V. §. I.

De residentia.

Quodque præterea Abbas, & singuli Canonici, & probationis hospites, Capellani, Collegiales, Successor, Organista, & quilibet alii ejusdem Collegiatæ Ecclesiæ Ministri collegialiter, & in communione apud ipsam Collegiatam Ecclesiam, & in Sacro Monte hujusmodi vivere debeant, ad cuius effectum ipse Petrus

AP-

Archiepiscopus domos in dicto Monte constructas eis concesserat , dederat , & adjudicaverat , prout easdem quatenus opus esset eis de novo dabat concedebat , & adjudicabat , & in eis habitationes sibi ipsis designabat, ita tamen quod vacantibus aliquibus Canonicatibus ipsius Collegiatæ Ecclesiæ per obitum seu promotionem cæteri Canonici secundum gradum , & ordinem suæ antiquitatis ipsas habitationes , vel mansiones Canonicales , & reliqui etiam Ministri quilibet sui generis habitationes , pari modo optare possint ; sed casu quo Organista , aut aliquis famulus fuerit conjugatus , & ob hanc aut aliam causam collegialiter , & in dicto Sacro Monte residere non possint , extra illum de licentia Capituli possint mansionem habere.

§. II.

TPsique etiam omnes continuo apud eandem Collegiatam Ecclesiam residere , & statim quo eorum singulis de Abbatia , ac singulis Canonicatibus , & Præbendis , necnon locis probationis , Collegiaturis , & Capellaniis , cæterisque dictæ Collegiatæ Ecclesiæ , officiis , & ministeriis provisum , ipsique recepti , & admissi fuerint , atque ipsi Canonici qui suas provisiones à Sede Apostolica præfata obtinuerint , ut vigore litterarum Apostolicarum , reliqui vero quibus de reliquis dictæ Collegiatæ Ecclesiæ Canonicatibus ad dispositionem Abbatis remanentibus per ipsum Abbatem provisum extiterit

rit requisiti fuerint, etiam in vim suarum provisionum sive electionum intra triginta, hospites vero probationis Capellani, Collegiales ceterique ministri infra quindecim dies a die notificationis suarum electionum, & provisionum teneantur singuli possessionem Abbatiae, ac singularum Canonicatum, locorum, Capellaniarum, officiorum, & ministeriorum suorum apprehendere, & ad habitationem sive residentiam apud ipsam Collegiatam Ecclesiam, & in eodem Sacro Monte se conferre, ibique etiam vivere, nisi terminus ipse eis per Abbatem, & Capitulum ex iuxta, & necessaria causa prorrogatus fuerit, alioquin contra ipsos iuris remediis etiam usque ad privationem suarum provisionum, & nominationum ad suas Præbendas, officia, & ministeria hujusmodi procedi possit.

§. III.

ET postquam omnes residentiam inchoaverint, tunc & non antea, alimenta, vestuaria, & distributiones lucrari incipient, ipsaque residentia inchoata eandem continuare, suisque officiis, & ministeriis, ut infra in eorum titulis declarabitur insistere debeant, alioquin hujusmodi alimenta, vestuaria, & distributiones neque in exteriori, neque in interiori sua conscientias foris lucentur.

Ab-

§. IV.

Abbas tamen, & singuli Canonici, & hospites probationis quolibet anno occasione negotiorum, occupationum, & absentiarum eis pro tempore occurrentium à Collegiata Ecclesia, seu Monte hujusmodi spatio quinquaginta dierum continuorum, vel interpolatorum etiam per horas abesse possint, proviso, quod quando plures eodem tempore hoc absentiae privilegio gaudere voluerint, id eo modo fieri debeat quod defectus in Choro, & administratione Sacramentorum non interveniat, quod quidem de facili contingere posset, si plures eodem tempore absentes essent, in quo per Abbatem providendum erit, non poterunt tamen à punto orationis excusari prout etiam infra in titulo de oratione tractabitur, praeterquam per totius diei assumptionem, neque etiam in Dominica, aut quovis festivo die tam de precepto Ecclesiae, quam quem in ipsa Collegiata Ecclesia cum solemnitate celebrari contigerit, idque intelligi debeat, cum praesentes in ipsa Ecclesia fuerint, & ulterius Abbas, & Canonici, cæterique Ministri spacio temporis, pro rasura ordinaria necessario gaudere valeant.

§. V.

ET si quem ultra tempus quinquaginta dierum hujusmodi etiam cum Abbatis, & Capituli licentia abesse contigerit, distributionum quotidianarum interes-

centias quatuor punctorum, de quibus infra in distributionum titulo tractabitur non lucentur.

§. VI.

Et si pro tempore existens Archiepiscus Granatensis aliquem ex Canonicis dictæ Collegiatæ Ecclesiæ in Provisorem, seu Visitatorem elegerit, dummodo non sit ipse Abbas, talis electus hoc ministerium acceptare, & illud etiam absque eo quod ejus Canonicatus, & Præbenda propterea videntur, sive vacare censeantur exercere possit, interim tamen nihil ex dictæ Ecclesiæ Collegiatæ fructibus lucretur, & cum hoc quod expleto officio intra triginta dies ad ipsius Collegiatæ Ecclesiæ servitium ut prius revertatur, alioquin contra ipsum procedi valeat, etiam usque ad privationem Canonicatus, & Præbendæ. In similibus quoque officiis, seu ministeriis duo Canonici tantum, & non amplius eodem tempore occupari possint, quod si ab eodem Archiepiscopo Granatensi pro tempore existente fuerit quispiam aliis ad aliquam aliam particularem commissionem, aut extraordinariam visitationem temporalem electus, si talis electus in eo munere non ultra sex menses se exercuerit, & reliquo illius anni tempore apud ipsam Collegiatam Ecclesiam reserbit, vestuarium, non autem distributiones lucrari valeat, proviso etiam quod duo tantum Canonici eodem etiam tempore in hujusmodi commissionibus occupari queant;

nulli

nulli autem ex Canonicis ipsi pro tempore existenti Archiepiscopo Granatensi in aliis suis particularibus ministeriis sub pena vacationis ejus Canonicatus, & Præbendæ intra tempus in his constitutionibus præfixum circa vacationem Canonicatum, & Præbendarum ex capite, non residentiæ inservire liceat.

§. VII.

Abati quoque à dicta Civitate Granatensi absque Capituli licentia in scriptis obtenta abesse non liceat, & quoties è Sacro Monte ad dictam Civitatem Granatensem se conferre voluerit ipse id prius Præsidenti significare, & claves ei consignare teneatur, & si ipsi Præsidenti grave aliquod inconveniens ex frequentibus eiusdem Abbatis concursationibus ad eandem Civitatem preventurum esse visum fuerit, Assistentes desuper consulat, & si audita Abbatis informatione convenerit expediens non esse, ut ipse Abbas exeat, Præsidens id ipsum prefato Abbatii significet, qui si monitus nihilominus exiverit, Præsidens convocato Capitulo hoc ipsum proponat; Capitulum quoque si exinde grave discrimen, & inordinationem exorituram cognoverit, huiusmodi licentiam pro tempore quoties conveniens illi videbitur denegare possit. Idemque Abbas extra Sacrum Montem præterquam de Præsidentis, & Assistentium licentia pernoctare nequeat, nec quisquam ex Canonicis à dicta Civitate

Granatensi abesse possit absque ipsius Abbatis licentia
in scriptis obtenta, quam idem Abbas ad tempus triginta
dierum dumtaxat concedere, & hoc non nisi ex iuxta,
& necessaria causa, quam licentiam idem Abbas
ad alios triginta dies prorrogare valeat, ita quod licentię
huiusmodi ab ipso Abbatе cuius Canonico infra spatium
unius anni concedendae, & prorrogandae duos menses in
totum non excedant, & quando eodem tempore duo ex
præbendatis de pari Abbatis licentia absentes fuerint, si-
milis licentia aliis ab eodem Abbatе concedi nequeat:
Huiusmodi autem licentia a Capitulo Abbatе absente
concedi debeat.

§. VIII.

Quod si causa a Canonico pro eius absentia ab ipso Sacro Monte, proponenda plus temporis, quam quod ab Abbatе concedi poterit postulaverit, hujusmodi licentia ab Abbatе, & Capitulo tribus ex quatuor partibus convenientibus ad tempus limitatum concedi debeat, illaque etiam hoc modo per suffragia secretæ prorrogari possit onerata, desuper singulorum conscientia sub pena infrascripti iuramenti super observantia præsentium constitutionum præstandi: Ita tamen quod quilibet prorrogatio tempus trium mensium non excedat. Pro negotiis verò Sacri Montis Abbas, & Capitulum, tribus ex quatuor partibus concordibus licentiam sic absentes pro præsentibus pro eo tempore, quod huiusmodi nego-

tia

tia postulare videbuntur admittentes concedere atque prorogare valeant, & de singulis huiusmodi licentiis, earumque prorrogationibus ratio, sive nota in libro punctorum hujusmodi haberi debeat, quique sine licentia elapso licentiæ tempore per eum prius obtentæ, & sibi non prorogatæ absens fuerit, privilegio de requie vulgo de recle nuncupato non gaudeat, nec vestuarium præter alias pœnas in his constitutionibus expressas, quibus multari debeat, lucretur.

§. IX.

Contra Abbatem quoque sive Canonicos, qui extra casus superius expressos, aut absque licentia ultra quatuor menses absens fuerit procedi possit etiam usque ad privationem, nisi durante huiusmodi absentia se infirmitate, quæ illum ad ejus residentiam impediverit, vel retardaverit detentum fuisse docuerit.

§. X.

Abbas præterea eiusdem Collegiatæ Ecclesiæ Capellani licentiam abessendi à Choro per triginta dierum spatum per puncta vel dies quolibet anno, ita quod etiam licentiæ hujusmodi in libro punctorum annotentur, concedere possit; pro negotiis verò urgentibus extra Civitatem Granatensem præfatam Abbas, & Capitulum nemine discrepante licentiam prædictam ad alios vinti dies, & non ultra ipsis Capellani prorrogare valent,

leant , & durante tempore quinquaginta dierum hujusmodi ipsi ita absentes pro præsentibus habeantur , & præter præmissa Abbatii liceat hanc licentiam ad alios triginta dies , & Abbatii , & Capitulo ad longius tempus Cappellanis absentibus à solitorum emolumenterum , & distributionum perceptione interim exclusis , ut supradictum fuit prorogare , & in quolibet punto , in quo ipsi Cappellani in Choro dictæ Collegiatæ Ecclesiæ sine Abbatis , aut Præsidentis licentia , cessante infirmitate , vel patitur , defecerint , debit is emolumenteris privabuntur . Capellanus quoque qui absque simili licentia ab ipsa Collegiata Ecclesia ultra duos menses absens fuerit , eius Capellania eo casu privari possit , nisi in ipsa absentia se infirmitate , quæ eius redditum ad residentiam impediverit detentum fuisse docuerit .

§. XI.

ET si Abbas , aut quispiam Canonicus aliquod crim men sive delictum commiserit , propter quod apprehensus , vel detenus fuerit , is pro præsente in Choro haberi non possit , sed eo tempore , quo sic detenus fuerit distributiones amittat , nisi tamen ipse absolutus liberetur , & rata per eum amissa cæteris interestibus accrescat .

§. XII.

Nulli etiam Canonico , aut alteri personæ ministerio dictæ Collegiatæ Ecclesiæ adscriptæ se inde ad dictam Civitatem Granatensem, aut alio absque Abbatis , vel Præsidentis licentia conferre , nec etiam tempore nocturno extra eundem Montem absque simili licentia in scriptis obtenta remanere liceat , & si quis contrarium fecerit , is pro culpæ gravitate arbitrio eiusdem Abbatis multari debeat , & si aliquoties in hoc excesserit pœnæ sive multæ etiam usque ad privationem sive exclusionem illius personæ ab ipsa Collegiata Ecclesia aggraventur. Privatio verò sive exclusio huiusmodi capitulariter per Abbatem , & Canonicos tribus ex quatuor partibus convenientibus , prout in titulo de pœnis delinquentium narrabitur , fieri debeat.

TITULUS VI. §. I.

De patitur infirmorum.

Abbas verò , & Canonici , qui in dicto Sacro Monte , aut de licentia Capituli in dicta Civitate Granensi , & non alibi , ut dicetur in titulo trigessimo constitutione quarta , verè ita infirmi fuerint ut in Choro ipsius Collegiatæ Ecclesiæ , nec aliis illius exercitiis interesse possint , singulis horis , quibus non interfuerint in tabella defientium per verbum patitur , á Cen-

sore , sive punctatore notari debeant. Ad verificandum vero infirmitatem punctator ipse curet quando quis in oratione vel horis deficiet , aliquem Collegialem , qui causam inquirat transmittere , & si ex causa infirmitatis proveniat, notare per verbum patitur, si vero ex alia causa per verbum recie, seu deficit juxta absentiae qualitatem.

§. II.

IS autem , qui ex infirmitate convaluerit ad Chorum ad horam orationis , aut quando Missa maior celebratur , aut horae decantantur accedere , & ibi se praesentare teneatur, alioquin ad nullam partem ire possit, praeterquam ad Sacras Cavernas , seu criptas visitandum, nisi tamen de repente occasione alicuius negotii præcisi , & celeritatis ita coactus fuerit , ut id præstare non possit , eoque casu cum Abbatis licentia ab ipso certiorato punctatore , & Abbas eodem punctatore certiorato a Præsidente, satis erit , ut ad Chorum etiam extra horas accedat , & alias ipsi Convalescentes puncta, sive defectus suæ infirmitatis non lucentur , & quod infirmitatis causa sit vera , & non levis diligenter prospici debet.

TITULUS VII. §. I.

De exercitiis spiritualibus, & Divinis Officiis.

Abbas quoque Canonici, & probationis hospites, Cappellani, & Collegiales singulis diebus in ipsa Collegiata Ecclesia coram Sanctissimo Sacramento, & Sanctorum Martyrum Reliquiis omnes in simul orationem mentalem spatio unius horæ continuæ de manè, à die Dominica Resurrectionis Dominicæ usque ad finem Septembris à quinta usque ad sextam, & à principio Octobris mensium, usque ad primam diem quadragesimæ à sexta usque ad septimam, & à principio Quadragesimæ usque ad diem Dominicam Resurrectionis Dominicæ hujusmodi à quinta hora, & media usque ad sextam, & dimidiâ horam habere teneantur: caveatque diligentius Abbas ne quis in hoc deficiat, cum id unum ex præcipuis fundamentis huiusmodi fundationis sit: Feria tamen sexta in Cæna Domini, ac diebus Nativitatis, & Resurrectionis Dominicæ ab oratione mentali hujusmodi ratione assistentiæ in eadem Collegiata Ecclesia ad Matutinas excusentur, & nihilominus distributiones hujusmodi lucentur.

§. II.

Absoluta autem oratione hujusmodi immediate per spatum dimidiae horæ pulsari debeat campana pro inchoatione prima; & tunc omnes insimul in Chora

convenientes in concentu psallentes Primam , Tertiam, Sextam , atque Nonam decantare debeant , ita tamen quod singulis Sabbathi diebus quibus Missa de Beata Virgine celebrari solet , illa statim finita oratione mentali hujusmodi celebrari debeat, facta verò elevatione statim campana pro prima pulsari debeat. In die verò Ascensionis Domini nona post Missam majorem decantari possit. In die autem Penthecostes Missa major immedietè post Tertiam quæ decantabitur hora , qua Missa major erit celebranda , illaque absoluta Sexta , & Nona decantari debeant, atque hisce diebus distributiones eo modo quo ratione Vesperarum , & completorii tempore quadragesimali lucentur.

§. III.

ET statim quo Officium Primæ incēptum fuerit Massa ferialis diei currentis , quæ Missa de prima vocatur , singulis diebus perpetuis futuris temporibus pro anima quondam Christophori Baca de Castro dum vixit dicti Petri Archiepiscopi Genitoris , & aliorum ejus familiæ defunctorum salute, & refrigerio submissa voce celebrari debeat; illa verò singulis sextis feriis de Passione , & Sabbati de Beata Virgine , dummodo tamen non sit præter ordinem Missalis Romani, quæ Missa ab ipsis Abbatib; & Canonicis, & non ab hospitibus probatis per turnum hebdomadarium celebranda erit , & Missam hujusmodi celebranti duo regalia pro ejus eleemosy-

na cum quarta parte alterius regalis monetæ illarum partium ex redditibus mensæ capitularis dari debeant. Et si Abbas, vel Canonicus in turno existens illam celebrare non poterit, illam subsequens in turno absque eo quod illa alteri celebranda committi possit cum eadem eleemosyna celebrare teneatur. Et quia in Vigiliarum, & quatuor temporum necnon quadragesimalibus diebus in quibus aliqua Sanctorum festa duplia, vel semiduplicia, ac etiam in primis diebus mensium in quibus festa simplicia occurunt in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis duæ Missæ, una de Sancto, & altera pro defunctis, sive de Vigilia vel feria celebrari solent, prima hujusmodi Missa pro defunctis, vel de Vigilia, seu ferialis esse debeat.

§. IV.

Singulis verò diebus Missa major de officio diei in cantu plano à Kalendis Octobris usque ad diem Dominicam Resurrectionis decima hora, & pro totius annis residuo hora nona de manè cuiuslibet diei pro Senatus dictæ Civitatis Granatensis, atque ejus Civibus siue Incolis, necnon pro Granatensibus atque Hispalensibus Diocesanis celebrari debeat, ut Deus eis omnium bonorum spiritualium, & temporalium abundantiam, & pro ipso Petro Archiepiscopo, ut eum utilem ad divina obsequia reddat, eique veram pænitentiam, & peccatorum suorum remissionem, & aliis Granatensibus, &

His-

Hispalensibus Ecclesiarum Præsulibus sapientiæ, & cætera
Spiritus Sancti dona concedere dignetur, & si aderit
sufficiens Canonicorum, aut Capellanorum numerus Missa
ip̄sa cum diaconorum assistentia celebranda sit, quorum
singulis semiregale pro vestuario dabitur, Missæque
huiusmodi Abbas, singuli Canonici, hospites probationis,
Capellani, & Collegiales interesse, ac Abbas, vel
eo absente Præsidens Missam ipsam festivis primæ classis,
ac in Purificationis eiusdem Beatæ Mariæ Virginis,
necnon cinerum, & Dominica in Ramis Palmarum
diebus, necnon feria quinta, & sexta in Cœna Domini,
ac Sabbathi Sancti, necnon octava Corporis Christi,
ac Sanctorum Hiscii, Mesitonis, Thesiphonis, Stephani,
Ioannis Evangelistæ, necnon Dionisii Areopagitæ diebus,
quorum omnium fit, & habetur in ipso Sacerdotio Monte particularis memoria, Canonici vero, non
autem hospites probationis, Reliquis diebus alternatim,
& per turnum hebdomadarium celebrare teneantur, &
unusquisque pro eleemosyna celebrationis cuiuslibet Mis-
sæ huiusmodi duo regalia cum dimidio alterius regalis
similis accipiat. Et si quis a celebratione Missæ huius-
modi se excusaverit illam subsequens in turno absque
eo quod alteri commendari possit celebret, & eandem
eleemosynam etiam accipiat, Missaque huiusmodi per
alium quemcunque, nisi quando facienda fuerit aliqua
eiusdem festivitatis memoria cum solemnitate dotata sup-

pleri nequeat, quo casu hujusmodi Missa hora celebra-
tionis Missæ maioris, & Missa de tertia post Nonam
in tono celebrari poterunt, ipsaque Missa absoluta, Pres-
byter illam celebrans unum responsorium pro ipsius Pe-
tri Archiepiscopi animæ salute in ipsa Collegiata Ec-
clesia submissa voce, diebus dumtaxat exceptis, in
quibus id ex ordinario Romano prohibetur, recitare
debeat.

§. V.

Ulterius Abbas, Canonici hospites probationis, Ca-
pellani, & Collegiales dictæ Ecclesiæ Collegia-
tæ singulis diebus Anni Vespertas atque Completorium
a die prima Octobris usque ad primam Dominicam Qua-
dragesimæ hora secunda cum dimidia, & Vespertas pro
residuo totius anni, & Completorium Quadragesimali
tempore hora tertia post meridiem Dominicis, & aliis
festivis de præcepto Ecclesiæ, & etiam Sacri Montis
Sanctorum in constitutione præcedenti prædictorum die-
bus, & primas Vespertas Paschatum, & singularum de
præcepto Ecclesiæ Beatæ Mariæ Virginis, & prædicto-
rum dicti Montis Sanctorum, aliarumque primæ Classis
festi yitatum, una cum Completorio prædictorum festo-
rum in cantu plano decantare, reliquis vero diebus in
ono seu submissa voce dicere, & recitare teneantur:
patutinæ vero Nativitatis Domini, necnon quartæ quin-
æ, & sextæ hebdomadæ Sanctæ feriarum, & Do-

minicæ Resurrectionis decantari debeant; in festivitatibus autem Corporis Christi, & in illius octava, necnon Purificationis eiusdem Beatæ Mariæ Virginis diebus, & Dominica in Ramis palmarum, necnon feria quinta, & sexta in cœna Domini, ac in die festivitatis Sancti Martini, & in Rogationibus minoribus, & etiam in Resurrectionis Dominicæ Processiones in ipsa Collegiata Ecclesia celebrari debeant.

§. VI.

Singulis quoque sextis fériis cuiuslibet hebdomadæ totius anni Abbas, Canonici, hospites probationis, & Capellani communicationem, seu conferentiam spiritualem præterquam in octavis Paschatis Resurrectionis Nativitatis Domini, Epiphaniæ, & Pentecostes, & hebdomada Sancta, & infraoctavam Corporis Christi, & festivitatibus de precepto Beatæ Mariæ Virginis, & eiusdem Sacri Montis Sanctorum, Sancti Ioannis, & Sancti Petri, ac sextis fériis Julii, Augusti, & Septembri, in quibus dies festi occurserint, nennon die festivitatis omnium Sanctorum, ac etiam Vesperis prædictarum festivitatum exceptis, habere debeant, punctumque rei de qua in communicatione, seu conferentia huiusmodi tractandum erit antecedenti feria sexta pro subsequente proponet, atque resolvet. Is qui præsidebit, & singuli cum brevitate suam opinionem dicant, & antequam in com-

municationem, seu conferentiam huiusmodi procedatur ex hymno. Veni Creator Spiritus, primus versiculus, & per te sciamus da Patrem, cum Spiritus Sancti, & Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, necnon Sanctorum Sacri Montis hujusmodi orationibus, quæ in Ecclesia recitantur, recitari debeat, Abbatisque seu Præsidentis erit cavere, ne aliquis in hoc exercitio absque licentia, quæ non nisi ex urgentissima causa concedi debeat, deficiat.

§. VII.

Quodque singulis secundis, & quartis feriis cuiusque hebdomadæ festivitatibus minimè occupatis, inter personas supradictas communicatio, seu conferentia rerum moralium à die Dominica Resurrectionis usque per totum mensam Junij inmmediatè post Vesperras, & pro residuo anni tempore per spatium unius horæ ante cænam, exceptis Julii, Augusti, & Septembris mensibus, & Octavis Paschatis Resurrectionis, & Nativitatis Domini, Epiphaniæ, & Penthecostes, ac hebdomada Sancta, & Vesperis Sanctorum præfati Montis, necnon Conceptionis, atque Anunciationis ejusdem Beatæ Mariæ Virginis, ac Sancti Ioannis Baptistæ, & Sancti Petri, necnon Sancti Pauli, omniumque Sanctorum, atque Ascensionis Dominicæ, & Corporis Christi, cum illius octava, aliarumque festivitatibus, in quibus decantatæ fuerint Vesperæ, haberi etiam debeat, affixa in carta mate-

ria tractanda in aliquo convenienti loco die præcedenti communicationis , seu conferentiæ hujusmodi pro alia proxima subsequenti , quæ ab eo cui Presidentiæ locus hujusmodi ab ipso Capitulo destinatus fuerit resolvi; quæstio quoque proposita omni cum modestia , & absque pertinacia , seu perfidia, aut verborum incompositione ventilari , & discuti , materia quoque ipsa proposita usque ad illius resolutionem continuari, & illa resoluta, alia tunc proponi debeat.

§. VIII.

Singulis quoque diebus , præterquam iis in quibus Vesperæ decantari solent , & in diebus rasuræ, vel in quibus Collegiales recreantur, qui asueti vocantur, cantus , lectio , sive exercitium erit. Abbas quoque, aut Præsidens quod hebdomadarius Missæ de tertia, ut repetitionem eorum, quæ ab illo sunt canenda faciat, & hospites probationis , Capellani , & Collegiales exceptis his qui in cantu versati , & etiam legitimè impediti fuerint interveniant curare debeat. Ordo, & hora ad id conveniens ab ipso Abbatè , vel Præidente erit assignanda.

§. IX.

Abbas præterea , & singuli Canonici, hospites probationis, & Capellani aliis occupationibus non impediti festivis diebus in sedibus vel Confessionariis ad Christi fidelium confessiones audiendas ; si tamen vel

post

postquam ad id ab Ordinario approbati fuerint, ne ipsos Christi fideles ab ipsa Collegiata Ecclesia absque Sacramentorum solatio, & remedio recedere contingat, residere teneantur: Pro reliquis vero diebus, is qui tabellam officiorum cuiuslibet hebdomadæ habuerit, duos, ex quatuor aut sex Confessoribus a Capitulo nominatis, & ab eodem Ordinario approbatis in principio anni quando cæteri officiales nominantur per turnum hebdomadarium designavit, alterum ad mulierum alterum vero ad virorum confessiones audiendas, qui huic muneri tam de manè, quam de sero incumbere ut omnium Christi fidelium hujusmodi pro suis peccatis confitendis ad ipsam Collegiatam Ecclesiam accendentium confessiones audire debeant. Et si ipsi duo propter Christi fidelium huiusmodi afluxiam satis non fuerint audiunt etiam confessiones cæteri confessores designati, & Abbas, sive Præsidens etiam de aliis ut præfertur approbatis sibi bene visis provideat. Ipsique omnes Abbatii, vel Præsidenti parere, omniumque, & singulorum Christi fidelium pœnitentium confessiones, sine personarum acceptione audire teneantur, & mulierum per cancellos, seu transennam, nec liceat ab ipsis pœnitentibus elemosinas quascumque etiam pro Missarum celebratione petere, vel recipere, nec etiam mulieribus ad Sacrum Montem hujusmodi accendentibus munuscula quæcumque donare, ut filii, & successores ipsorum Sanctorum Martyrum in hoc munere, & officio

appareant, sed hoc munus dumtaxat ad Dei gloriam,
& animarum salutem exercere debeant.

§. X.

UTque iuxta piam dicti Petri Archiepiscopi intentionem ad omnium, & præsertim Diocesanorum Civitatis, & Dioecesis Granatensis spirituale commodum propensam pro etiam fundamento in ipsa fundatione inter cætera per ipsum Petrum Archiepiscopum electo consultum iri possit, quod semel, vel bis in anno duo ad minus ipsius Collegiatæ Ecclesiæ Canonici, qui ab Abbatे vel Præsidente, & assistentibus designabuntur, onus missionis ab ipso Monte ad partes eis quoque designandas, & ad tempus eis præscribendum suscipere teneantur, cum quibus unus hospes probationis, & unus, aut duo Capellani, ac etiam de consensu duarum ex tribus partibus Capituli aliquis clericus licet non sit ex gremio Sacri Montis ire poterunt, prævia Archiepiscopi Granatensis pro tempore existentis licentia, & suscep- ta prius eius benedictione cordi sibi figentes se tanquam gloriosorum martyrum successores charitatis spiritum, & circa bonorum temporalium despœctum, cum quo ipsi fidem ipsam Catholicam in his Regnis seminarunt, exhibentes hoc munus exercere sese in verbi Dei prædicationibus, confessionibus Christi fidelium audiendis, Sacrosancti Eucharistiae Sacramenti administratione, &

Doc-

Doctrinæ Christianæ institutione ardenti zelo occupare satagentes laboribus nullatenus parcentes , nec se spectaculis , aut aliis solatiis ab hoc exercitio distrahere patientes , neque etiam munera , aut alia dona acceptantes , sed sibi necessaria sumptibus mensæ capitularis eiusdem Collegiatæ Ecclesiæ , ex cuius redditibus sustentari debeant ementes , & curam expensæ persona ab ipso Abbe , vel Præsidente designanda in se suscipiat , & sumptus ordinarios dicti Montis quoad fieri poterit non excedere procuret : & circa sumptus , & expensas huiusmodi standum erit iuramento illius , cui onus expendendi Abbas , seu Præsidens commiserit : cæteri autem in dicto Sacro Monte remanentes labores , & onera ex inde adaucta , & multiplicata ab omnibus proportionabiliter , & cum hilaritate , habita ratione ad bona , & commoda , quæ exinde ad animarum salutem ex huiusmodi missionibus resultant , sustinere current : absoluto quoque missionis huiusmodi munere , ipsi de eorum gestis Abbatii , & Canonicis in pleno Capitulo , & sub inde intra triduum Archiepiscopo Granatensi pro tempore existenti , vel eo absente eius Provisor rationem reddere teneantur , ipsæque missiones in libro particula- ri annotari debeant.

§. XI.

UTQUE etiam obligationi , qua dictus Petrus Archiepiscopus erga Ecclesiam Hispalensem illiusque Dio-

cesim tenetur aliqua ex parte satis fiat ipsæ missiones ad eundem etiam Hispalensem Archiepiscopatum fiant; hoc modo scilicet , quod completo in eodem Sacro Monte viginti , aut quatuordecim Canonicorum , & sex Capellavorum numero, duo Canonici ut præfertur nominati, singulo quoque biennio ad Archiepiscopatum seu Dioecesim Hispalensem, illiusque populos, & loca qui institutione magis indiguerint , & qui eis ab Archiepiscopo Hispalensi etiam pro tempore existente nominati fuerint , & ad tempus sibi ab ipso Archiepiscopo Hispalensi pro tempore existente præscribendum, accepta eius Sancta benedictione , & licentia , ac exhibito eidem huiusce constitutionis transumpto , cuius etiam copia in Archivio Curiæ Archiepiscopalnis Hispalensis, ad hoc ut Archiepiscopus Hispalensis pro tempore existens illius notitiam habeat , & ipsis Canonicis quæ sibi visa fuerit injungat destinari , ipsique Canonici sumptibus eiusdem Montis in his piis occupationibus iuxta formam præcedentis statuti, seu constitutionis, nempè in verbi Dei prædicationibus , confessionum auditionibus , ac Sacra-sanctæ Eucharistiæ administratione , & Doctrinæ Christianæ institutione sese exercere debeant , & huiusmodi missio loco unius ex missionibus Granatensis Diœcesis habeatur.

TITULUS VIII. §. I.

De distributionibus.

UTque Abbas ac singuli Canonici, & Capellani distributionis officiis, cæterisque exercitiis prædictis majori cura, & solicitudine incumbant, eaque ratione præmium exinde reportent quamvis divini cultus, non autem alicuius præmii intuitu id fieri debeat, quod ipsi distributionibus quotidianis sequenti modo gaudere debeant.

§. II.

IN primis omne necessarium ad sustentationem habebunt prout dictum est, ut infra in titulo de Domus Regimine continetur, ultra quod quilibet Canonicus, & probationis hospes postquam in probatione ultra biennium permanserit, annis singulis summam quadraginta, Abbas verò octuaginta ducatorum liberorum, & immunium ab omni subsidio excusato, & ab alia quacunque compositione, quia hæc omnia tam pro Abbatia, & Canonicatibus, quam pro Capellaniis ex redditibus Sacri Montis persolvenda erunt pro eorum singulorum vestuario à die qua apud ipsam Ecclesiam Collegiatam residere cæperint, pro rata temporis eorum cuiuslibet residentiæ, ut hisce constitutionibus præsertim in titulo residentiæ cautum est, percipient, hac tamen prævia declaratione quod pro sustentatione, & alimentis ni-

hil extra ipsum Montem ex quavis causa , seù ratione, præterquam in missionibus, aut aliis ipsius Collegiatæ Ecclesiæ negotiis ab aliquo percipi possit sub, onere tamen tempore quo dicto vestuario gaudebunt celebrationis unius Missæ singulis quoque mensibus per Abbatem , & quemlibet ex Canonicis, necnon probationis hospitibus pro prædicti Christophori Vaca de Castro dicti Petri Archiepiscopi genitoris, ipsiusque etiam Petri Archiepiscopi , & aliorum , pro quibus dictus Petrus Archiepiscopus obligatus est animarum salute , & refrigerio submissa voce celebrandæ , ipsæque etiam Missæ in particulari libro ad id destinato annotari debeant , ad hoc ut de singulorum satisfactione constare possit , nec cuiquam portio vestuarij consignari vel persolvi, nisi prius ex ipso libro constiterit eum integrè satisfecisse , & si quispiam defecerit, illius defectus ex ipsa portione ad rationem duorum regalium pro eleemosyna cuiuslibet Missæ deduci debeant, & talis Missa dicetur per Collectoriam.

§. III.

EX hora orationis quilibet Canonicus , & probatio-
nis hospes tres quartas regalis partes , & Abbas
duplicem portionem , singuli vero Capellani semiregale
si durante primo horæ quarto ingressi fuerint , per-
cipiant.

§. IV.

Ratione autem Missæ de prima illam celebranti per modum eleemosynæ duo regalia cum quarta alterius regalis parte, ut in titulo exercitiorum constitutione tertia continetur, attribui debeant.

§. V.

Pro interessentia verò primæ, Tertiæ, Sextæ, & Nonæ, quæ subsequenter decantari solent, unusquisque Canonicus, & probationis hospes semiregale, & Abbas integrum, singuli vero Capellani quartam unius regalis partem, si saltem ad decantationem Gloria Patri secundi psalmi horæ primæ ingressi fuerint, habeant, & recitatio omnium dictarum horarum hujusmodi pro uno punto habeatur.

§. VI.

Missam verò maiorem celebranti eleemosyna duorum regalium cum dimidio dari, Abbatii autem si illam celebraverit eleemosina ipsa duplicari debeat, & ulterius Canonicus Missam huiusmodi celebrans, ceterique Canonici, & hospites probationis pro interessentia medietatem unius regalis pro quolibet, & Abbas integrum regale, Capellani verò quartam partem unius regalis dummodo ipsi omnes ante absolutionem Epistolæ, seu primæ prophetiæ, si eo die occurrat, interfuerint, lucentur.

Et

§. VII.

ET ratione vesperarum ac completorii, quorum ratione unum punctum notari solet, etiam si continuatim non decantentur seu recitentur, prout fit tempore quadragesimali, quilibet Canonicus, & hospes probationis semiregale Abbas vero integrum, & singuli Capellani quartam unius regalis partem habeant, dummodo ad decantationem Gloria Patri primi psalmi Vesperarum ingrediantur.

§. VIII.

Canonici quoque ac hospites, & Capellani, qui in Missis decantatis in habitu Diaconali ministraverint, semiregale percipient.

§. IX.

ET ratione matutinarum cuiuslibet festivitatis Nativitatis Domini, & feriae quartae, quintae, & sextae hebdomadę Sanctae, necnon Dominicę Resurrectionis de mane singuli Canonici, & hospites probationis unum, Abbas autem duo regalia, & singuli Capellani medietatem unius regalis lucentur, hanc autem distributionem si saltem in fine invitatorii ingressi non fuerint, amittant.

§. X.

ET pro capparum pluvialium in Missarum, Vesperarum, & matutinarum celebratione decantatione, vel recitatione, assumptione, qui cappas, & pluviales

les huiusmodi assumpserint singuli Canonici, & hospites semiregale, & Presbyter in singulis vesperis, matutinis, & processionibus in quibus cappam pluvialem assumpserit, integrum, Abbas verò duo regalia lucentur,

§. XI.

Singuli quoque Canonici, & hospites, qui cuilibet processioni interfuerint, semiregale, & Abbas integrum, & singuli Capellani quartam regalis partem habeant.

§. XII.

Similem quoque portionem singuli eorum qui conferentiis spiritualibus, & moralibus interfuerint lucentur, eam verò si durante priori horæ quarto ingressi non fuerint, amittant.

§. XIII.

Distributio autem, seu distributionum portio quartæ partis unius regalis Canonicorum probationis, hospitum, & Capellanorum, & dimidij regalis Abbatis ratione horæ orationis, & ratione vestuarii, altaris, caparum, processionum, conferentiarum quoque spirituum, & moralium, quæ manuales sunt, à personaliter assistentibus, ac omnibus aliis, à quibus prout in constitutione decima septima hujus tituli memoriæ, & anniversaria lucranda erunt, simili modo, & forma lucrabuntur.

§. XIV.

Succentor seu Subcantor quoque, & Organista si Clericali charactere insigniti fuerint, horæ orationis, & conferentiarum spiritualium, atque moralium distributiones, quæ pro manualibus habentur, omniaque alia manualia, & quartæ partis unius regalis existunt ad instar Capellanorum, lucentur.

§. XV.

Aliæ verò distributiones, quæ manuales non sunt, ut supra dictum est, per patitum, & requiem, aut recle, ac in aliis sacri Montis occupationibus, & missiōnibus lucrari possint.

§. XVI.

Tpsæ etiam distributiones etiam manuales, quas absentes ab officiis, & exercitiis amisserint, cæteris præsentibus, & interessentibus respectivè acrecent. Vestuaria vero, quæ absentes in casibus suprà dictis in titulo residentiæ expressis amisserint, Abbatii, & Canonicis præsentibus; quæ inter eos pro rata repartiri debeant, acrecent. Multæ quoque Canonicorum, hospitum, & Capellanorum, distributionum etiam manualium, per Abbatem, vel Præsidentem iudicatæ, præsentibus quoque pari modo acrecent. Poterit autem Abbas, & Capitulum pro vitandis molestiis, & multiplicitatibus computorum, absentium huiusmodi distributiones multas, & manualia pro arbitrio suo fabricæ dictæ Ecclesiæ Collegiatæ attribuere, & applicare.

Me-

memorias etiam, & anniversaria ex particularibus

MEmorias etiam, & anniversaria ex particularibus fundatoribus hactenus in ipsa Collegiata Ecclesia instituta, & deinceps instituenda lucrari debeant præsentes, & interessentes, ac in missionibus, & confessoribus occupati, ac etiam qui ad Missas, quas de tabula vocant tempore quo cuiuslibet anniversarij Missa celebratur, celebrandas exierint, quique in prædicationis munere in ipso anniversario sé exercuerint, & qui ad celebrandum exierit, aut alias in Domus, vel Ecclesiæ servitio aut quovis alio ministerio etiam extra ipsam Civitatem Granatensem occupatus fuerit, dummodo tamen ei propterea salaryum destinatum non sit, & præmissa cum particulari Abbatis, vel Præsidentis, aut Capituli in casibus cuilibet contingentibus licentia, non nisi ex speciali necessitate concedenda fiant; distributiones autem seu anniversariorum emolumenta hoc modo repartiri debeant, quod scilicet quatuor pro Canonico Missam celebrante, ac unum pro quolibet Diacono, necnon aliud pro quolibet ex his, qui pluvialia, & duo alia regalia pro eo qui pluviale Sacerdotale assumpserint, detrahi debeant, residuum autem, inter reliquos Canonicos equis portionibus Abbatे duplicem portionem accipiente, & Collegio pro uno, & sex Capellanis pro altero, repartiri debeat, & deficiente aliquo ex dictis Capellaniis quilibet ex præsentibus sextam partem eum tangen-

tem

tem percipiat, & deficientium portiones de novo inter omnes Abbatem, & Canonicos modo præmisso repartiri debeant.

§. XVIII.

ET Missæ cantatæ, & submissa etiam voce celebран. dæ anniversariorum huiusmodi per Abbatem, & Canonicos prædictos per turnum ab ipso Abbatе inchoandum, & usque ad novissimum Canonicum continuandum celebrari debeant.

§. XIX.

PRobationis verò hospites pro duobus Prioribus suæ probationis, annis Anniversariorum, & memoriarum participes non efficiantur, nec etiam manuales distributiones superius relatas lucentur, transactis verò duobus annis hujusmodi illarum omnium fiant participes.

TITULUS IX. §. I.

De Abbaté.

INsuper Abbas Abbatiam dignitatem unicam in ipsa Collegiata Ecclesia obtinens tanquam illius caput in omnibus rebus, seu actionibus primum locum, & præminentiam pro sui oneris auctoritate habeat.

§. II.

EIque statutorum atque constitutionum dictæ Collegiatæ Ecclesiæ observantia, sive executio incumbat,

bat , & de super pro sola sua auctoritate in communione provideat, exceptis casibus in Capitulo vel cum assistentibus , ut superius notatum fuit , & infra dicetur, tractandis .

§. III.

Tipius quoque Abbatis sit Capitulum in omnibus casibus necessariis convocare , curam clausuræ gerere, domus necessitatibus , & provisioni prospicere , & quod singuli officiales, & ministri suis obligationibus , & ministeriis corrasque Officinas, & loca Sacri Montis huiusmodi absque eo quod desuper ab aliquo impediri possit, visitare valeat, omnesque illi absque aliqua contradictione parere debeant, salva tamen libertate proponendi in Assistentium consultatione ea in quibus per dictum Abbatem circa premissa limites suæ iurisdictionis , & auctoritatis excessum fuisse cuilibet videbitur , adhoc ut quod in præmissis agendum erit iuxta disposita in titulo duodecimo Assistentium salubriter provideri possit, utque id melius adimpleri queat statim quo ipse Abbas in Abbatiae huiusmodi possessione admissus fuerit omnes , & singuli tam Canonici quam hospites probationis , & Capellani , & Collegiales eidem obedientiam præstare , & in eius manibus eidem iuxta formam præsentium constitutionum parento , & in hac constitutione disposita adimplendo iura

mentum præstare teneantur, ipsique etiam in poenam per
jurii incident toties quoties eis eorumque singulis Abbas
quidquam ponderis, seu considerationis sub poena præstiti
juramenti præceperit, & non adimpleverint, simile quoque
iuramentum omnes, & singuli, qui in ipso Capitulo de
novo admissi fuerint statim præstare teneantur.

§. IV.

ABBAS quoque auctoritatem atque iurisdictionem abs-
que Assistentium ministerio circa Canonicorum,
aliarumque dictæ Collegiate Ecclesiæ personarum corre-
ctionem, & mulctarum inflictionem habeat in omnibus ca-
sibus sibi benevisis, tam quoad illos qui in observatione
constitutionum, ac laudabilem dictæ Collegiate Ecclesiæ
consuetudinum defecerint, quam quoad eos qui sibi obe-
dire neglexerint, aut in aliis similibus deliquerint, li-
ceatque sibi eos per subtractionem distributionum hora-
rum, & exercitorum ad tempus sibi benevisum spatium
tamen unius hebdomadæ non excedens, aliisque etiam
poenis pecuniariis summam duorum ducatorum pro quali-
bet vice non excedentibus, mulctare, & si Abbas quem-
piam ex Canonicis Capellanis, aut aliis ministris prædic-
tis gravius, & præter subtractionem distributionum ho-
rarum unius hebdomadæ, vel ultra poenam duorum du-
catorum huiusmodi singulo quoque bimestri mulctaverit,
possit is qui ita gravatus fuerit ad Assistentium consul-

tam,

tam, in qua causa sui gravaminis tractari, & modo in titulo Assistentium disposito resolvi debeat, recursum habere, ipsique Assistentes alias mortificationis pœnitentias moderatas prout eis pro correctionis, & emendationis huiusmodi excessus qualitate convenire visum fuerit illorum loco infligere possint.

§. V.

Electio quoque, & nominatio omnium Ministrorum, & famulorum pro usu, & servitio domus necessariorum, iis duntaxat exceptis, qui in priori constitutione tituli officiorum, aut in alia harum constitutionum, quorum electio ad capitulum spectare debet, penes ipsum Abbatem liberé remaneat; isque cum eis de salario, & mercede convenire, ac eos etiam in casibus sibi etiam benè visis dimittere possit. Sed si alicui salarium augendum fuerit, id per congregaciones administrationis fiat. Si vero numerus ministrorum, & famulorum per Abbatem, & Capitulum per tres ex quatuor partibus augeatur: non tamen pro servitio Abbatis, aut alicuius Canonici in particulari; liceatque eidem intra annum cæteros dictæ Ecclesiæ Collegiatæ officiales ad defectus, & absentias personarum, per Capitulum ad ipsius Ecclesiæ Collegiatæ ministeria nominatorum, supplendos nominare: preterquam in casu vacationis perpetuæ, & in officiis Assistentium, & Administratorum, in quorum absentiis per capitulum provideri debeat. Interim autem

donec persona ad officium nominetur, illud antiquior
Canonicus exerceat.

TITULUS X. §. I.

De Officiis Ecclesiae.

Utque in quolibet die translationis Sancti Jacobi, quæ trigesima cujuslibet mensis Decembris celebra-
tur, capitulum congregari debeat, ad faciendum electio-
nem officialium ipsius Collegiatæ Ecclesiae: nempé Præ-
sidentis, Assistentium, Administratorum, Computatorum,
Clavigerorum, Thesaurarii, Secretarij capitulo, Colec-
toris, Punctatoris, conferentiarum moralium Præsidentis,
chori Correctoris, Bibliothecæ Præfecti, Rectoris Colle-
gii, rituum, seu cæmoniarum Magistri, Custodis sup-
pellectilis domus (quem vulgo Ropero vocant) & Hos-
pitatoris, qui omnes, & singuli suo muneri, secundum
laudabiles ipsius Collegiatæ Ecclesiae consuetudines, &
hujuscæ constitutionis dispositionem respondere debeant.
Atque celebrata Spiritus Sancti Missa in orationis hora,
singuli ad Capitulum procedant finito completorio, Hym-
noque, Veni Creator Spiritus dicto, cum ejusdem Spir-
itus Sancti, necnon Immaculatæ Conceptionis Beate Ma-
riæ Virginis, & Sanctorum Montis Sancti orationibus, Ab-
bas, sive Præsidens statim officium, de quo providen-
dum erit, proponet, servato dignitatis cujuslibet officii
ordine: factaque unius electione, ad reliquorum electio-
nem

nem ordine supra relato, in hac constitutione procedi
debeat. Præsidentis verò, Assistentium, Administratorum
Thesaurarii, Collectoris, Punctatoris, Clavigeri, Provi-
soris domus, Collegii Rectoris electio per vota, seu suf-
fragia secreta adhibitis eisdem forma, & ordine,
quæ in Canonicorum electione abhimentur, & prout in
electionum titulo constitutione quarta dispositum est, fie-
ri debeat.

§. II.

TN Præsidentem unus, in Assistentes verò, & Clavi-
geros duo ad quodlibet officiorum, qui illa coniunc-
tim exercere teneantur, nominari debeat, & quamvis
Collector ac Punctator unus, & idem esse debeat ad
amborum officiorum exercitium, tamen duo ad hujusmodi
officia nominentur quorum primus ipsa officia præcipue
exerceat, & alter illius defectus, & absentias supleat.

§. III.

AD Præsidentis, Assistentium, Administratorum, &
A saltem alterius, ex Computatoribus, Præsidentis quo-
que conferentiarum moralium, & Rectoris Collegij offi-
cia soli Canonici elegantur, ad reliqua verò hospites pro-
bationis, sive Capellani indifferenter, prout ipsi Capitulo
videbitur assumi possint.

§. IV.

Prae autem electio, & nominatio ad annum tantum,
& non ultra fieri debeat, præterquam quoad Adminis-
tratorum, & Computatorum officia ad quorum singu-
la quolibet anno unus tantum ad duos annos in alte-
rius locum subrogari, & nominari, alter vero in alium
annum continuari debeat adhoc ut semper unus quod
libet horum officiorum tempore electionis alterius per
annum exercitaverit, & status negotiorum ad officia hu-
iusmodi spectantium, & quæ circa eorum exercitia trac-
tanda sunt cognitionem habeant, & in eisdem omnibus
officiis ipsi toties quoties eidem Capitulo videbitur præ-
terquam Administratores, & Clavigeri qui non nisi a di-
missione officiorum anno ad minus elapso, & absolute
reeligiri possint.

§. V.

Personæ quoque ad singula officia nominatae sive
electæ officia huiusmodi cum omni obedientia, &
humilitate acceptare teneantur, attamen si legitimam
excusationis causam habuerint, eandem causam in ipso-
met Capitulo proponere debeat. Illaque discussa per
fabas albas, & nigras, an admittenda, vel rejiscienda
sit, resolvi debeat, & quod maiori parti placuerit, vel
in eventum paritatis votorum parti cui ipse Abbas ad-
hærebit absque alia replicatione exequi debeat. Abbas
quoque intra limites facultatum sibi ex forma harum

constitutionum attributarum sese continens nominatum si-
ve electum ad aliquod officium ad illius acceptationem,
& exercitium pœnis sibi benē vissis cogat, & compel-
lat, & si pœnas huiusmodi leves esse, & magis ri-
gorose procedendum esse cognitum fuerit, ad id per Ab-
batem, & Capitulum coniunctim procedi debeat.

§. VI.

Eodem etiam modo Abbas, & Capitulum ad Suc-
centoris, seu Subcantoris, Organistæ, Sacristæ,
& Apparitoris, quem Pertiguerium vulgo vocant elec-
tionem, & assignationem salarii officiorum procedere de-
beant. Et huiusmodi nominatio, sive electio adveniente
quacunque ex officiis huiusmodi vacatione facienda est.

§. VII.

Intravenous quacunque occasione levaminis, aut re-
motionis alicuius ex officialibus, qui ab Abbatem, &
Capitulo nominari debent, ab ipsismet sumpta diligentí
informatione causarum levaminis, seu remotionis huius-
modi fieri, & alius in locum remoti modo supradicto
eligi debeat, & in hoc casu, & in eventum etiam va-
cationis perpetuæ ex alia quavis causa, lapsus seu spa-
tium anni ad novam nominationm, & electionem hu-
iusmodi non expectetur, sed illa statim pro residuo il-
lius anni fieri debeat.

TITULUS XI. §. I.

De Præsidente.

Utque facta Præsidentis electione forma supradicta in titulo præcedenti ipse Præsidens Abbatem pro tempore existentem quando præsens fuerit iuxta consuetudinem Ecclesiæ, & Domus in quibuscunque rebus, & negotiis specialiter sibi ab eodem Abbatе commissis coadiuvare debeat, illique circa rerum, & negotiorum huiusmodi expeditionem in omnibus, prout ipsi Abbatи ab aliis parendum est; Abbate verò absente omnia, & singula ad Abbatem spectantia peragere possit, & valeat, omnesque illi tanquam ipsimet Abbatи obsequentes esse debeant, ita tamen quod in eventum multarum, multas tantummodo in horis, & earum distributionibus per quatuor dies pro qualibet vice tantum infligere possit, & ex huiusmodi multis ab eo inflictis, eodem modo quo ab Abbatе, ad Capitulum recursus haberi possit, vestuarium tamen, & distributiones duplicates prout Abbas non habeat, sibi etiam aliquem ex ministris ab Abbatе deputandis absque Abbatis consultatione, quem quoad hoc maximè cum de proximo venturus sit expectare debeat, præterquam in causa urgenti, & necessaria, quod illius prudentiæ remittitur, neque dimittere, neque recipere liceat.

Ab-

§. II.

Abbaté vero, & Præsidente absentibus munus seu officium Præsidentis circa regimen domus, & chori, & Capituli cum eisdemmet declarationibus, & limitationibus præcedenti constitutione propositis, & expressis, subire debeat antiquior Canonicus, prout Præsidens, cui etiam similis obedientia præstari debeat.

§. III.

Præsidens quoque simul cum Abbaté in consultationibus, quas ipse Abbas cum Assistentibus super morali regimine domus, & rei familiaris administratione habebit, intervenire debeat, & in illis Abbaté absente votum decisuum, eo verò præsente, votum consultuum dumtaxat habeat.

§. IV.

Et tam in Abbatis præsentia, quam illius absentia in Choro, & Capitulo, & alio quocumque loco primum locum immediatè post Abbatem etiam si in ordine Canonicorum aliis inferior locus illi debeat, obtineat.

TITULUS XII. §. I.

De Assistentibus, & Consultis.

Quodque etiam ex gremio Canonicorum duo qui Assistentes vocentur juxta modum, & formam in S of-

officiorum titulo expressos , elegantur , cum quibus , & Præsidente, Abbas , & eo absente , ipse Præsidens omnia , & singula negotia , quæ eorum quilibet consultatione digna judicabit , domus regimen , & gubernium , rerumque ipsius Sacri Montis circa mores , & consuetudines , Divinum cultum , reliquumque morale gubernium , dispositio- nem concernentia consultare teneatur , & ipsi Assisten- tes omnia , & singula , quæ illis emendatione digna vi- debuntur perspicere , & animadvertere curabunt , ut in consultationibus , quæ saltem singulis quindecim diebus , vel sæpius si opus fuerit , faciendæ sunt , proponantur , & resolutionem , quām in ipsa consultatione fieri conti- gerit in libro ad hunc effectum tenendo à moderniori Assistentे connotari , & scribi debeat , & ea quæ ab ip- so Abate , vel eo absente à Præsidente altero ex As- sistentibus illius sententiæ adhærente resoluta fuerint , etiam si aliorum pars dissenserit omnino exequi debeant : & casu quo neuter ex Assistentibus sententiæ Abbatis , vel in ejus absentia Præsidentis adhæreat , negotium hu- jusmodi capitulariter tractari , & resolutio à maiori par- te capituli capta exequi debeat . A resolutionibus vero , ab Abate altero ex Assistentibus illi adhærente captis , denuō ad Capitulum nulla via , causa , vel ratione recur- sus haberi possit ; nec liceat capitulo in illis se se in- t̄romittere , cum ipsius Petri Archiepiscopi intentio in hoc fundata sit , quod absolutum Ecclesiæ , & domus

gu-

gubernium ad Abbatem modo quo supra, præter alios casus , qui notantur in his constitutionibus , quæ illius solius sunt iurisdictionis, spectet, & pertineat , & in hac constitutione dispositum sub poena iuramenti facti circa observationem harum constitutionum dictus Petrus Archiepiscopus voluerat observari.

TITULUS XIII. §. I.

De Administratoribus , & administratione rei familiaris.

ET quod insuper nominentur ex gremio eorundem Canonicorum duo Administratores, modo, & forma in titulo officiorum expressis, qui una cum ipso Abate administrationi rei familiaris ejusdem Sacri Montis incumbere , cum quo , & Præsidente ad id in consultationibus Ordinariis , & quoties ipsi Abati opus esse videntur, convenire teneantur.

§. II.

IPsi quoque Administratores specialem curam omnium rerum administrationem rei familiaris dicti Sacri Montis concernentium habere debeant , & pro meliori illius regimine in ipsius Abbatis habitatione hora ab eodem Abate designata singulis saltim quindecim diebus, & quoties expediens fuerit , & Abbas ordinaverit , convenire. Ipsique Abbas , & Præsidens, & Administratores omnia,

&

& singula negotia præfatam administrationem concerneantia inter se conferre, tractare, & decernere debeant. Et si omnes in eandem sententiam non convenerint resolutioni ipsius Abbatis dummodo alter ex Administratoribus illi adhæreat standum sit, & si ambo Administratores opinioni Abbatis non adheserint negotium ad ipsum Capitulum, ubi illud resolvi debeat, remittatur. Resolutions quoque in ipsa Congregatione captæ in libro ad id destinato per novissimum Administratorem, qui ipsius Congregationis Secretarius existat annotentur, & semper in principio cuiuslibet Congregationis ea quæ in præcedenti Congregatione resoluta fuere legantur, & referantur ad hoc ut si ea executioni hactenus demandata non fuerint, quod pro meliori illorum executione expediens videbitur, decerni debeat.

§. III.

TN hac etiam Congregatione **Economus** qui exactioni reddituum, & proventuum, aliarumque rerum eiusdem Sacri Montis, illiusque fabricæ, & mensæ capitularis yacet, nominandus erit, ac conditiones, & fideiüssiones quibus se ad reddituum hujusmodi exactionem, & securitatem obligare debet, erunt etiam decernendæ stipulandæ, & acceptandæ, salarium verò per Abbatem, & Capitulum erit assignandum, & facta nominatione ad effectum illius approbationis in capitulo erit præsentanda, & si ita expediens videbitur mandatum ad reddituum hu-

jus-

jusmodi exactionem illi tradi debeat, ipsaque nominatio ad biennium dumtaxat fiat, rationemque suæ administrationis in fine cuiuslibet anni reddat, & si in fine secundi anni residuum fuerit, iterum atque de novo, nisi prius soluto residuo, quod in arca tribus clavibus clausa, de qua infra in titulo Clavigerorum fit mentio recludi debeat, eligi non possit. Ipse quoque **Œconomus**, sive Receptor ad Capituli beneplacitum, si ita expediens iudicaverit, removeri valeat.

§. IV.

Nominabitur in hac quoque Congregatione persona, quæ negotiorum, ac litium Sacri Montis præfati tam in dicta Civitate Granatensi, quam alibi ubique fuerit curam ac solicitationem habeat cui salarium assignabitur, conditiones imponentur, instructionesque tradentur necessariæ, & hujusmodi nominatio Capitulo præsentabitur, a quo si expedire visum fuerit, approbarbitur, eique etiam mandatum sufficiens, & oportunum ad prosecutionem litium pendentium, sed si novæ lites intentandæ veniant, novum, & speciale mandatum illi ad hunc effectum, & non alias, ab ipso Capitulo tradi debeat. Si verò necessarium fuerit aliquem Canonicum ad solicitationem, seu expeditionem alicuius litis, aut alterius dicti Sacri Montis negotij destinare, hec resolutio, & nominatio in Capitulo capi, & fieri debeat.

§. V.

PRæterea in hujusmodi Congregatione omnes litteræ, Epistolæ, & relationes Agentium, & solicitatorum litium erunt aperiendæ, & legendæ, illisque responsiones, & necessariæ instructiones dandæ, & transmittendæ, executio autem responsionum, dispositio, & ordinatio memorialium, & instructionum Administratori, cui materia illa, seu talè negotium obtigerit, remittatur, & in quadam parte libri hujusce Congregationis particularis omnium, & singularum dicti Sacri Montis litium relatio annotabitur, quæ in singulis Congregationibus ordinariis relegatur ad hoc ut sæpius renovata litium hujusmodi memoria habita ratione earum, status quod necessarium fuerit ordinetur, & disponatur.

§. VI.

Ipsæ etiam Economus, seu Receptor cum decreto, seu Consilio Congregationis huiusmodi locationes, & affecta necessaria bonorum, prædiorum, & possessionum dicti Sacri Montis satisfacta prius dicta Congregatione conditionum, solutionis, securitatis, ac prætij, quod etiam in mandato illi tradendo exprimi debeat; si vero locatio, vel concessio ad alicuius vitam fiat ad Capitulum, ut in eo quid faciendum sit determinetur, remitti debeat.

Quan-

§. VII.

QUANDO AUTEM ALIQUORUM BONORUM ACQUIRENDORUM,
SEÙ EMENDORUM, AUT IMPOSENDORUM CENSUM,
VEL ETIAM BONORUM STABILUM DE LICENTIA SEDIS
APOSTOLICÆ PRÆFATÆ ALIENANDORUM, AUT AD VITAM LOCAN-
DORUM, SEÚ IN PERPETUUM CENSUM, VEL AD TEMPUS CON-
CEDENDORUM, AUT CONSTRUENDI ALICUIUS OPERIS, SEÙ EDIFI-
CIJ, VEL EMISSIONIS ALICUJUS REI ARGENTEÆ, AUT ORNAMENTO-
RUM PRO IPSIUS COLLEGIAȚE ECCLESIÆ, USU NECESSARIA OCA-
SIO SE PRÆBWERIT, ID PARITER IN IPSA CONGREGATIONE TRACTA-
RI, CONFERRI, & QUID AGENDUM FUERIT RESOLVI, & STATIM IN
CAPITULO PROPONI, & IN EO PER SUFFRAGIA SEÙ VOTA DUA-
RUM EX TRIBUS PARTIBUS CONCORDARI, & QUOD SIC CAPITULARI-
TÉR CONCORDATUM FUERIT EIDEM CONGREGATIONI EXEQUEN-
DUM REMitti DEBEAT. ITA TAMEN QUOD QUANDO PRO USU, &
SERVITIO DICTAE COLLEGIAȚE ECCLESIÆ, VEL DOMUS ALIQUID
EMENDUM SIT, CUJUS PRETUM VALOREM VIGINTI DUCATORUM
NON EXCEDAT, ID EX SOLIUS HUIUSCE CONGREGATIONIS RESO-
LUTIONE EMI POSSIT, EX SIMILI QUOQUE EJUSDEM CONGREGA-
TIONIS RESOLUTIONE NECESSARIÆ REPARATIONES CIRCA ECCLESIAM,
& DOMUM HUIUSMODI ILLIUSQUE PRÆDIA, & POSSESSIONES,
AC SUPPELLĒTILEM ARGENTEAM, NECNON SACRISTIÆ ORNAMEN-
TA FIERI POSSIT, PROVISO, QUOD HÆC OMNIA, & SINGULA AP-
TÈ REFEcta, & REPARATA SINT.

§. VIII.

ACetiam ex eadem Congregatione emanabunt cedulæ , seu litteræ pecuniarum (vulgo libranzæ) quarum vigore pecuniæ pro sumptu ordinario , tam domus Provisorij tradendæ sunt , quam Abbati , & singulis Canonicis , & Capellanis pro vestuario , & distributionibus , ac etiam pro salariis quorumcunque Collegiatæ Ecclesiæ , & domus hujusmodi Ministrorum , & pro quibuscumque aliis usibus , sumptibus , & solutionibus , quæ per Economum persolvendæ fuerint , & quascumque solutiones cum supradictis cedula sive litteris pecuniarum saltem manu duorum ex hujusmodi Congregatione subscriptis , seu firmatis , quorum unus Abbas , & in ejus absentia Præsidens esse debeat , sumpta illarum ratione ab altero ex Calculatoribus , sive Computatoribus Sacri Montis prædicti una cum quietantia illius , qui pecunias hujusmodi receperit Economus exhibuerit in suis computis admitti debeant . Quo verò ad minutas expensas , quas ipse Economus circa reparaciones , lites , & vecturas aut portes aliaque similia fecerit , data earum copia vera , & iurata in fine cuiuslibet mensis , & in ipsa Congregatione , sive à persona , ex dictæ Congregationis , cui commissa fuerit perspecta , & subscripta , & ab altero ex Calculatoribus , sive Computatoribus sumpta ratione , præfato Economo etiam nullo alio præcedente ordine , seu mandato , admittendo , & approbando esse debeant .

§. IX.

Ipsa etiam Congregatio in fine cuiuslibet solutionis termi-
ni decernet, & diriget librazas, seu mandata de
solvendo vestuaria, distributiones, manualia, atque an-
niversaria, & salario Abbatis, & singulorum Canonicorum
aliarumque personarum atque Ecclesiæ, & Domus
huiusmodi Ministrorum, quibus ea omnia, & singula
œconomus in ipso Sacro Monte infra biduum post de-
bitam requisitionem persolvere debeat. Idque conditiona-
liter in illius nominatione, sive electione, & in litteris
sue deputationis, seu œconomiæ apponi debeat, & hu-
jusce constitutionis observantiam antequam mandatum
exercitij eius officij illi tradatur, iurare teneatur, & su-
pradicæ solutiones fient habita consideratione diei in-
choationis residentiæ, ut fertur in titulo quinto residen-
tiæ Constitutione tertia, quia omnes vacantiæ usque ad
diem incepæ primæ residentiæ mensæ capitulari cedent
absque eo quod novi provisi quicquam ex eis petere, vel
prætendere possint.

§. X.

Et si ex aliqua causa aliquando officium œconomiæ
huiusmodi vacans fuerit, ipsa congregatio personas
sibi benevisas ad necessariam solicitudinem circa redi-
tuum Sacri Montis exactiæ adhibendam nominabit.
Ita quod ea quæ interim exigi contigerit in arca prædic-
ta tribus seris, vel clavibus obserata deponi debeat, super

qua quæcunque cedula libranze, seu solutiones consignabuntur, quæ alias ipsi Economo si fuisset remitterentur, quæ ab ipsis Clavigeris persolvi, & in ipsa arca servari debeant, ad hoc ut cum illis rationem reddere possint, quando ex pecuniis dictæ Arcæ reddenda fuerit.

§. XI.

ET si aliquando super sterilitate alicuius fundi, seu predij ipsius Sacri Montis aliquis sequester, seu mediator, aut pro supradicta re familiari, seu alia quacunque aliquis prespectator, mensurator, aut aestimator fuerit nominandus, is ab ipsa Congregatione nominabitur.

§. XII.

ET si aliqua concordia, sive transactio super aliqua, lita vel differentia dicti Montis ineunda extiterit, id in ipsa etiam Congregatione tractari, & quod in ea conveniens repertum fuerit postmodum Capitulo ad hoc ut in eo quid agendum fuerit, concordari, & resolvi possit, referri beat, ipsumque Capitulum speciale, vel generale mandatum personis fidelibus ad dictas concordias, & transactiones, cæteraque similia interesse dicti Montis concernentia, quæ extra dictum Sacrum Montem, & Civitatem Granatensem tractanda, & facienda fuerint, tradere valeat, ipseque personæ hæc negotia absque alio Capituli Consilio, seu communicatione tractare, & exequi poterunt.

Sta-

§. XIII.

Statum etiam esse voluerat idem Petrus Archiepiscopus, ut singulo quoque anno ipsi Administratores, & Economus, omnia, & singula dicti Sacri Montis prædia in dicta Civitate Granatensi, & infra spatium unius leucæ circumcirca consistentia, & singulo quoque biennio unus Administrator, & Economus, ea, quæ citra spatum huiusmodi, tam in illius agro, & termino quam alias ubilibet ad ipsum Sacrum Montem spectaverint, tempore ad id in dicta Congregatione designando, visitare, necnon relationem reparationum quibus illa pro tempore indigebunt facere teneantur, ipseque reparations cum primum id commodè fieri poterit, visa prius in ipso Capitulo illorum Administratorum relatione, & emanato desuper eiusdem Capituli ordine, seu decreto, fient, & ipsi Abbas, & Administratores executioni mandabunt, Capitulum autem ad visitationem prædictorum ultra spatium unius leucæ huiusmodi ab ipsa Civitate Granatensi distantium, singulo biennio ut præfertur faciendam, certum tempus ad illam peragendam eisdem Administratoribus prefigere etiam debeat, ipsæque visitationes sumptibus Sacri Montis huiusmodi fiant, & sumptus huiusmodi in eos computus iuxta declaracionem Administratoris visitantis, ita tamen quod sumptus cuiuslibet diei summam mille morapetinorum non excedant, admitti debeant, ipse quoque visitationes, & quidquid

quid desuper resolutum fuerit, in libro eiusdem Congregationis separatim cum nota diei, mensis, & anni annotari debeant, ad hoc ut in huiusmodi Congregatione eorum executionis cura haberi possit.

§. XIV.

Quo verò ad resolutiones in ipsa Congregatione capiendas, his quæ ab Abbaté vel eo absente á Presidente, & ab altero ex Administratoribus resoluta fuerint, stari debeat, & si neuter dictorum Administratorum ipsi Abbat, vel Præsidenti adhæserit, id in Capitulo proponi, & resolvi debeat.

TITULUS XIV. §. I.

De Computatoribus.

ERunt insuper in dicto Sacro Monte ex gremio Canonicorum, sive Capellanorum duo Calculatores, seu Computatores modo quo supra in titulo officiorum nominandi. Ipsique in Camera computorum ipsius Sacri Montis assistent tempore necessario ad res, quæ ad officium suum spectant, illisque incumbet Economi, Clavigerorum, ac domus Provisoris, necnon expeditoris, seu dispensatoris, Collectoriarum, & fabricarum accipere computa, & alia quæcumque rei familiaris dicti Montis quando opus fuerit, & illa ad calculum revocare, & adæquare ratios, & subducere, residua solidare, & annotare.

In

IN ipsa quoque rationum, & computorum Camera libri erunt distincti, in quibus singulorum officiorum, & administrationum computa exigantur, & annotentur seorsum, & separatim præsertim verò reddituum dictæ fabricæ pro cuius credito capitali redditus annuus trium millium ducatorum illi ab ipso Petro Archiepiscopo in titulo fundationis dictæ Ecclesiæ Collegiate assignatus, & qui vis alius illi deinceps quandocunque assignandus, & qui ad ipsam fabricam pro tempore speetabit, dari, assignari, & adjudicari debeat, & in computis, seu rationibus reddituum fabricæ hujusmodi exactione quicquid pro sustentatione, & salario Apparitoris, quem Pertiguarium vulgo vocant, Sacristæ, Organistæ, & Succentoris, necnon pro manutentione, & sustentatione sex Capellanorum, & octodecim Collegialium una cum quantitate trium millium morapetinorum, quæ pro singulis Collegialibus, ut in præfatæ fundationis titulo constitutione secunda dicitur, & similiter quæ pro ipsis Ecclesiæ, & Sacristiæ servitio, & ornamentis, cera aliisque illius rebus, necnon reparacionibus, & edificiis in Collegiata Ecclesia, & domo hujusmodi pro tempore construendis insumi contigerit, constito de ipsis expensis, iuxta formam dispositionis in his constitutionibus admitti debeant.

§. III.

Tpsique Calculatores, seu Computatores facient cedulas, seu litteras pecuniarum, que à prædicta Administratorum Congregatione, vel Capitulo erunt subscribendæ, in quibus à Computatore, vel Calculatore, qui eas fecerit, firmari debeat, quod illa cedula, seu libranza alias data, seu relaxata non fuit, & post subscriptionem illius in libro rationali in ipsa rationum, seu computationum Camera existente annotabitur.

TITULUS XV. §. I.

De Clavigeris, & Arca depositi.

PRæterea erit in ipso Sacro Monte arca, seu Capsa tuta atque secura tribus seris, & clavibus obserata in Abbatis sive Presidentis, aut alicuius ex Administratoribus, vel Clavigeris cubiculo, seu cella, ubi Administrorum Congregationi magis expedire videbitur, quarum una penes antiquiorem Computatorem seu Calculatorem in dignitate, reliquæ verò penes duos Clavigeros modo quo supra in officiorum titulo nominandos, remaneant.

§. II.

ET in ea æs universum ad ipsum Montem Sacrum, pro capitali spectans, non tamen ex illius redditibus proveniens, & tam quod in emptionem bonorum convertendum fuerit, quam quod, ex aliquorum bonorum

rum

rum prævia Sedis Apostolicæ prædictæ licentia , Venditione , vel redemptione alicujus census , sive rei donatæ , datæ , vel relictæ dicto Sacro Monti pervenerit , reponi debeat ; æs enim hujusce generis , aut alterius similis in universum ex huiusmodi tamen redditibus ut prefertur non procedens , quod capitale ad effectum illud in aliorum bonorum , aut reddituum emptionem pro ipsius Montis utilitate , & augmento convertendi habeatur , nec exinde ad aliud quemcunque finem extrahi possit .

§. III.

IN illa quoque residua , seu rationum subductiones **E**conomorum pro tempore existentium , aut aliarum personarum reponi debeant , absque eo quod successoribus **E**conomis tradi possint , aut illorum exactio eis commiti queat , & hujusmodi residua , in eos usus , in quibus redditus dicti Sacri Montis converti solent præviis cedulis seu litteris pecuniarum super ipsis residuis modo quo super ipsis **E**conomis consuevit , converti , & expendi debeant ; pecuniæ , etiamque ea , aut quacumque alia ratione in ipsa arca reponendæ erunt , in illa à dictis Clavigeris infra sex horarum spatium ab earum receptione sub pœna infractionis iuramenti super observantia præsentium Constitutionum præstandi , reponi debeant .

§. IV.

IN eademque arca redditus reponentur, quos vacante
Economatus officio exigi contigerit, denturque ce-
dulæ modo quo supra Economō si fuisset, ut in titulo
Administratorum dictum est.

§. V.

IN ea etiam liber illius rationum sit, in quo ille Cal-
culator sive Computator, qui pro tempore Claviger
fuerit eas pecuniarum summas quas in illa reponi, &
etiam exinde extrahi contigerit, per distinctas, & separa-
tas partitas, quod cuilibet materiei convenerit, & in una
pecunias sortis principalis, ut in Constitutione secunda
hujus tituli expressum est, in alia verò eas quae ex re-
siduo Economorum, aut aliarum personarum provene-
rint, in reliqua autem illas quae in defectum Economi
exactæ fuerint, annotare debeat; aliis etiam sit similis
rationis liber in Camera computorum, ut per illum ce-
dulæ, seu litteræ pecuniarum necessariæ fieri possint, si-
ne tamen aliquo excessu pecuniarum cuiusvis generis,
quæ in ipsa arca pro tempore extiterint, & absque eo
quod necesse sit ad ipsius arcæ librum recursum habe-
re, & in eadem etiam arca singularum pecuniarum quas
pro tempore solvi contigerit, cedulæ, seu consignationes
observari, & custodiri debeant, ut ex illis, & ex libris
rationis huiusmodi, ratio pecuniarum, quæ in ipsa arca pro
tempore repositæ fuerint, haberi possit, hæcque ratio, &
computum in fine cuiuslibet anni fieri, & adequari debeat.

TI-

TITULUS XVI. §. I.

De Thesaurario, & Sacrista.

THesaurarius insuper qui modo in titulo officiorum contento pro tempore nominatus fuerit suo oneri regimen, & superintendentiam Sacristiæ, & Cryptarum, & Cavernarum Sacri Montis habeat, curamque quod omnia, & singula ejus officio credita, & commissa, ordine, compositione, nitore, & custodia convenientibus disposita sint, utque, & major, & minor Sacristæ suo muneri plene respondeant, & circa custodiam, reparationem, & munditiam ornamentorum, necnon Altarium, illorumque tabularum, seu Imaginum, Reliquiarum, cæterarumque Ecclesiæ, & Sacristiæ rerum, curam, & solitudinem gerat, cui Thesaurario circa præmissa quilibet defectus imputabitur, & pro eo erit multandus.

§. II.

TPsique Thesaurario simul cum Sacrista, qui similiter à Capitulo nominatus fuerit, & ad Capituli satisfactiōnem fideiussiones dederit omnia, & singula ornamenta, aurum, & argentum aliaque in dicta Sacristia existentia in inventario consignari, & in fine cuiuslibet anni quando novus Thesaurarius nominatus fuerit, ratio elapsi anni juxta tenorem inventarii huiusmodi exigi, & in eo ea, quæ de novo accesserunt, addi, & consumpta ab eo tol-

li debeant; novaque subinde rerum existentium consignatio, Sacristæ, & novo Thesaurario fiet. Thesaurarius quoque ipse claves distinctas, & separatas in rebus sibi benevisis sibi retinere poterit.

§. III.

TN ipsa quoque Sacristia erit arca duabus seris, seu clavibus obserata, quarum una penes ipsum Thesaurarium, altera verò penes Computatorem, seu Calculatorem rationis exactorem remaneat, in qua tota cera ipsius Sacristiæ asservetur, & in ea etiam sit liber in quo memoria, & ratio totius ceræ, quæ in ea reponi, & ex ea extrahi contigerit habenda sit, & alia etiam sit arca, unica tantum sera obserata, cuius clavim ipse Thesaurarius habeat, & in qua cera usualis pro servitio Ecclesiæ retineatur ex qua dictus Thesaurarius ceram pro servitio dictæ Ecclesiæ singulo quoque die necessariam ipsi Sacristæ tradere debeat, & residuum recuperare curet.

§. IV.

THesaurarius ut Sacristia rebus omnibus ad servitium dictæ Collegiatæ Ecclesiæ necessariis etiam odoribus, & pastillis pro festivis diebus provisa, & instruta sit, curare teneatur, quod omne pro ipsius dispositione expendendum, & distribuendum erit, & in computis admitendum sola eius relatione iurata.

§. V.

Poterit quoque idem Thesaurarius in quibuscumque rebus minutis, quicquid pro servitio ejusdem Sacristiæ necessarium fuerit, dummodo singula partita valorem octo regalium non excedat, expendere, & illi de hujusmodi sumptu, seu expensa mediante illius relatione iurata in Administratorum Congregatione ad eius exonerationem cautio dabitur.

§. VI.

Tetiam quascunque eleemosynas in subsidium, seu subventionem Sacristiæ erogandas recipiet, & illas notabit, & adscribet in libro ad id per eum tenendo, & de his in fine cuiuslibet anni rationem reddere debebit.

§. VII.

Prohibitum etiam sit ne suppellex argentea, aut ipsius Ecclesiæ ornamenta alicui accommodari, sive in mutuum dari possint, neque Abbas, & Capitulum etiam integrè convocatum, & nemine discrepante, sub pœna juramenti super observantia præsentium constitutionum præstiti, licentiam ad id concedere possint.

TITULUS XVII. §. I.

De Secretario Capituli.

Secretarius Capituli etiamsi non sit de numero Canonorum nominari possit, ipseque obligatus sit

sin-

singulis Capitulis interesse , & quicquid in ipso Capitulo resolutum , atque conclusum fuerit annotare , & subscribere debeat in libro actorum Capitularium qui diligenter in ipso Capitulo sub idonea custodia, absque eo quod sibi liceat illum ad quemcunque finem , & effectum inde extrahere, asservetur , & quando ad huiusmodi officium admissus fuerit de illo fideliter exercendo, & ea quæ in ipso Capitulo tractari contigerit, abdita, & occulta conservando juramentum præstare teneatur.

TITULUS XVIII. §. I.

De Collectore, & Punctatore Collectoriae.

Collectoris, & Punctatoris officia ab unica, & eadem tantum persona exerceantur, ut in officiorum titulo dictum est, distinctos tamen , & separatos libros habeat, unum videlicet nuncupatum quadrantem pro Punctatoris officio, in quo Abbatis singulorumque Canonicorum , Capellanorum , & Collegialium , defectus, seu absentiæ in omnibus , & singulis officiis , atque exercitiis, pro quibus fuerint distributiones assignatae, possint annari , alterum verò pro Collectoris officio in quo rationem Missarum solutarum à particularibus personis in eorum dispositionibus testamentariis , aut etiam in eorum vita relictorum, & commissarum sumpta memoria, & ratione personæ Missas hujusmodi relinquenter sive committentis , & quæ Missa sit, & qua die illa recepta fuerit,

rit, necnon etiam Missarum, anniversariorum perpetuorum cæterarumque Ecclesiæ obligationum, ut potè primæ, & majorum, seu Conventualium, & earum quæ singulo quoque mense celebrandæ sunt aliarumque similium, & ab illis qui eas celebraverint, subscribantur, & subinde in fine cujuslibet trimestris seu alterius termini tertio nuncupati, eosdem libros ipsis Computatoribus, seu Calculatoribus, ut nominationes faciant, traddere debeat, necnon horas, Missas, atque conferentias illis interessens. Punctum verò orationis statim post finem illius antequam ē Choro recedat, annotare, & signare debeat.

§. II.

Nec possit ipse Collector alij Sacerdoti, qui non sit ex ipso Sacro Monte Missam quamcunque celebrandam committere, nec etiam pro celebrata puncto obsignare, nec etiam ipsius Montis Sacerdotibus Missarum hujusmodi celebrationem extra dictum Montem Sacrum, nisi ipsius Montis servitiis occupati fuerint, & prævia licentia facere licebit, tamen si tot Missæ celebrandæ fuerint, quæ ab ipsius Montis Sacerdotibus celebrari non possint, eo casu ipse Abbas alios Sacerdotes extraneos, qui illas celebrent nominare poterit, & Sacerdotes qui sic nominati fuerint modo quo supra punctis obsignari possint.

§. III.

OMnes etiam memoriarum atque anniversariorum nec non Cappellaniarum Missæ , quas in ipsa Collegiata Ecclesia pro tempore fundari contigerit, ab ipsis Abate , Canonicis , & Capellanis Sacri Montis tantum, & non ab aliis extraneis Sacerdotibus , vel Capellanis celebrari possint , & quæcunque contrariæ huic constitutioni fundationes , aut dotationes admitti nequeant.

§. IV.

NULLI etiam Canonico , vel Capellano liceat Missas Collectoriae recipere , & si quis Collector e absente similes Missas, seu Missarum eleemosynas receperit, easdem ipsi Collector i infra spatiū viginti quatuor horarum traddere debeat , adhoc ut illas in libro Collectorie notet , & scribat , & suo ordine cum eas celebrari contigerit, signet , & punctet.

§. V.

Eleemosyna cuiuslibet Missæ Collectoriae sit duorum regalium , nec Collector onus celebrationis Missarum cum minori eleemosyna recipere possit, hancque duorum regalium eleemosynam Sacerdoti illam celebranti statim post illius celebrationem , & subscriptionem tradere debeat , retentis sibi dumtaxat duobus morapetinis , ex qualibet eleemosyna hujusmodi pro ejus labore , & si pro celebratione alicuius Missæ huiusmodi major eleemo-

sina summam duorum regalium excesserit, annotabitur,
& talis excessus fabricę applicari debeat.

TITULUS XIX. §. I.

De Domus Provisore, & Ministro.

Obsonatori verò, seù Domus Provisori tota ea pecunia, quæ pro necessariis sumptibus Domus ejusdem necessaria fuerit, tradatur, & ipse in fine cuiuslibet quadrimestris rationem reddere debeat, & circa infirmorum regimen, utque Minister ad hoc ab Abbaté, & Capitulo nominatus suo muneri correspondeat, diligenter curam adhibebit.

TITULUS XX. §. I.

De Janitore, & Clausura.

In super media hora post serotinam orationem paulo plus vel minus, eiusdem Sacri Montis januae claudantur a Janitore, & illarum claves custodiantur, illisque clausis, & obseratis nemini claves ad aperiendum tradat, & si necesse fuerit easdem aperiri, id cum Abbatis, sive Præsidentis licentia faciat, ipseque Abbas sive Præsidentis ante quam cubitum se conferat cum ipso Janitore, januas ipsas visitet, & claves observet, quas sequenti mane diluculo ipsi Janitori, ut fores adaperiat, tradet.

§. II.

PRæterea januis, seu foribus clausis, nulli nec Abbatis, nec Canonicorum, aut probationis hospitum, vel Collegialium, seu Capellanorum, aut cuiusvis aliorum Ministrorum liceat foras furtivè, vel occultè exire sub poena privationis quartæ partis fructuum sue Prebendæ, aut sui officii, vel Ministerii ipso iure absque alia declaratione incurrienda, & tamen transgressores promodo culpæ aliis etiam gravioribus poenis coerceri, & puniri possint.

§. III.

STATUTUM quoque, & inviolabilitè cautum sit, quod mulieres aliquæ etiam si alicuius ex Abbaté, & Canonicis, seu cuiusvis alterius ipsius Sacri Montis personæ genitrices, vel sorores fuerint, sub pretextu cuiusvis necessitatis, aut ex quavis causa, vel ratione dictam domum, seu aliquam eius partem nequeant ingredi, nec ingrediantur, sub simili poena absque alia declaratio ne incurrienda, pari modo per eum, qui illas ingredi fecerit aut consenserit, quodque hæc, & præcedens constitutio sub poena fractionis juramenti super observantia præsentium constitutionum prætandi observentur.

TITULUS XXI. §. I.

De Magistro cæremoniarum, & cæremoniis.

IN ipsa quoque Collegiata Ecclesia duo cæremoniarum Præfecti, seu Magistri esse debeant, quorum alter Canonicus, seu Capellanus a Capitulo, alter vero Capellanus ab Abbatè nominentur. Primus tabellam officiorum Ecclesiæ, & Chori qualibet hebdomada faciet, seu scribet, & singulos de his quæ sibi ex officio peragenda erunt admonebit. Singulique illi, etiam si videatur in suo munere errare, ad excusandam Divinorum officiorum, quæ exinde sequi posset perturbationem, absque replicatione parere teneantur; absoluto vero divino officio, ut de cætero quid agendum sit perpendatur, admoneri poterit.

§. II.

Alter vero Magister cæremoniarum Capellanus apud Altares in Missis decantatis debeat assistere, & in Vesperis decantatis Presbytero sociari, ut quæ convenientia fuerint possit disponere.

§. III.

Abbas, Canonici, & Hospites probationis cappas nigras Canonicales, sed non sericas, curent tamen quod omnes sint similes, & conformes temporibus, quibus illis Ecclesia utitur, deferre sive gestare debeant.

§. IV.

Quando Abbas Missam majorem , seu decantatam celebraturus fuerit , duo Canonici , hebdomadarius scilicet Evangelij ministerium , Diaconi , postremus verò , seu modernior Subdiaconi , facere teneantur .

§. V.

Nulla alia Missa ad majus Altare celebrabitur , præter Primæ , & majorum , & piarum memoriarum perpetuarum , & temporalium per ipsosmet Canonicos , aut dictæ Ecclesiæ Granatensis Præbendatos , aut alias graves huiusc qualitatis personas , vel aliquam Communiam fundatarum , nisi ipsi Abbatи sive Præsidenti vi sum fuerit alicui gravi personæ licentiam concedere celebrandi .

§. VI.

TN ipsius Sacri Montis Ecclesia persona aliqua cuiuscunque status , & conditionis sit sepeliri minime possit , ob reverentiam Corporum , & Reliquiarum gloriosorum Sanctorum , quæ illic sunt , præter Archiepiscopos Granatenses , si alicui in ea sepeliri placuerit , locus autem in ea conveniens pro Abbatis , & Canonicorum ipsius Sacri Montis sepultura designari debeat .

TITULUS XXII. §. I.

De Capellaniis , & Subcantore

ERUNT INSUPER IN IPSA COLLEGIATA ECCLESIA SEX CAPELLANI PER ABBATEM, & CANONICOS ELIGENDI, QUI APUD IPSUM MONTEM SACRUM CONTINUO VIVERE ATQUE RESIDERE TENEANTUR, UT IN TITULIS FUNDATIONIS ECCLESIAE NECON NON ELECTORIS, & RESIDENTIAE EXPRESSUM FUIT; IN EORUM VERO ELECTORATIONE PARTICULARITER ANIMADVERTENDUM ERIT, QUOD QUI IN IPSIUS MONTIS COLLEGIO EDUCATI FUERINT, CETERIS PARTIBUS, ALIIS PREFERRI DEBEANT, IPSIQUE SUMPTIBUS FABRICÆ DICCI SACRI MONTIS APUD ILLAM RESIDENDO QUADE ESCULENTA, & POUCULENTA SUSTENTARI DEBEANT ABSQUE ALIO SALARIO, NEC VESTUARIO, CUJUS LOCO DISTRIBUTIONUM IN IPSARUM DISTRIBUTIONUM TITULO EXPRESSARUM PARTICIPES FIANT, QUOS SI INFIRMARI CONTIGERIT SUMPTIBUS EJUSDEM FABRICÆ CURARI ETIAM DEBEANT, QUORUM PRÆDICITORUM SEX CAPELLANORUM LOCO POTERUNT ABBAE, & CAPITULUM DICCE ECCLESIAE PER TRES EX QUATUOR PARTIBUS, PER VOTA SECRETA ELIGERE COLLEGIALES, QUI AD TITULUM COLLEGIJ ORDINARI POSSINT, SUMPTIBUS, & EXPENSIS DICCE FABRICÆ, QUIBUS SUPRADICCI CAPELLANI SUSTENTANDI ERUNT, IN QUORUM ELECTORATIONE ERUNT OBSERVANDÆ CONDITIONES, & QUALITATES EXPRESSÆ IN TITULO Vigesimo tertio COLLEGIALLIUM CONSTITUTIONE SEPTIMA.

§. II.

CApellaniæ etiam nullo unquam tempore collativæ, seu beneficia collativa , sed tantum servitia manutalia , & ipsi Capellani ad nutum amovibiles censeantur , & quandocumque ad Capituli beneplacitum, duabus ex tribus partibus in hoc concurrentibus, absque eo quod ipsum Capitulum causam nec rationem exclusionis , vel amotionis hujusmodi reddere, nec significare, teneantur, excludi , & amoveri possint , & in hoc casu resolutio sic capta quacunque appellatione , & alio quocunque recursu non obstante, executioni demandari debeat , & ut hoc cum majori quiete fieri queat, hæc constitutio cuilibet Capellano sic electo ante illius admissionem perlegi , & ipse illi consentire , illiusque consensus in libro Capitulari annotari , & ab eo subscribi debeat.

§. III.

TPsi demum Capellani in Choro , & Altari inservire, & in Choro hujusmodi post Canonicos , & aprobationis hospites donec in eo sedes distinctè Superiores , & inferiores sint, tunc verò in sedibus inferioribus justa cuiuslibet præminentiam, servato antiquitatis ordine, sedere debeant, quos omnes præcedet Subcantor, seu Succendor, etiam si antiquior non sit.

§. IV.

TEmpore quoque decantationis Divinorum officiorum in Choro semper canere, & ad falsistorium quoties

ties ad illud canendum erit, accedere, necnon Sacerdotem incensum , coram Altari , ut ipsius Ecclesiæ laudabilis est moris; daturum concomitari aliaque omnia, & singula officia , atque ministeria ab Abbe , & Capitulo injungenda omni submissione, seu obedientia , & præsertim etiam Diaconi , & Subdiaconi ministeria in celebratio- ne Missarum majorum , & decantatarum quando eis ita ordinatum fuerit, subire teneantur.

§. V.

Erit etiam qui Succentoris officium exercere, quique cantus Chori Altaris , & processionum , ac alias in dicta Collegiata Ecclesia modulationem, seu modera- men, & regimen habere , & in cantu lectiones, & exer- citum ordinare , ut in titulo exercitiorum expressum est, facere debeat , & stipendium sive salarium quod ei assignabitur percipiet, & si ex gremio Capellanorum fue- rit, ab obligationibus aliorum Capellanorum a Capitulo, prout illi videbitur, & cum illo Conventum fuerit, re- levari possit.

TITULUS XXIII. §. I.

De Collegialibus.

Collegiales præterea qui in ipso Sacro Monte juxta declarationem in fundationis ipsius Collegiatæ Ec- clesiæ titulo factam, pro tempore fuerint, in eo continuo

vivere, & apud illam residere, & quoad esculenta atque po-
culenta necessaria octodecim videlicet fabricæ, Reliqui verò
ut in prædicto fundationis ejusdem Collegiatæ Ecclesiæ titu-
lo expressum est, quando adfuerint mensæ Capitularis sump-
tibus sustentari, & ultra præmissa eorum singulis quolibet
anno tria morapetinorum millia, ex annuis redditibus
dictæ fabricæ sive mensæ capitularis respectivè assignari,
& dari debeant, quæ una cum manualibus, & anniver-
sariis, quorum ipsi participes fuerint Rectori ipsius Col-
legii tradenda erunt, ad hoc ut exinde eis ea quæ ad
amicum magis necessaria quo cum decentia, & mundi-
tia incedere valeant, comparare possit, & ultra præmissa
superpellicea, seu amictus linei, ut in Ecclesia, & Cho-
ro inservire queant, ex eisdem redditibus fabricæ, seu
mensæ capitularis respectivè ipsis subministrari debeant.

§. II.

Ipsi quoque Collegiales Sacerdotibus Missas in præfata
Collegiata Ecclesia submissa voce celebrantibus mi-
nistrare, ac in Choro Divinis officiis assistere, atque in
eo cantare aliaque ministeria eis injungenda, prout in
particularibus dicti Collegij constitutionibus dispositum
est, facere seque semper, & quandocumque ad Abbatis,
& Capituli mandata promptos, & paratos exhibere, illis
que in omnibus, quæ sibi injuncta fuerint parere te-
neantur.

Et

§. III.

ET pro Collegij, & Collegialium regimine, seu gubernio annis singulis unus ex Canonicis, qui sit illius Rector, ut in titulo officiorum dictum est, nominari debeat, qui hoc regimen, & Collegialium correctionem, necnon executionem vel observantiam particularium constitutionum ipsius Collegij eiusque studiorum suscipere teneatur.

§. IV.

CAutum præterea sit ne Abbatii, & Canonicis, aut cuilibet alteri ipsius Sacri Montis personæ aliquis ex Collegialibus hujusmodi particulariter inserviat, & si Abbas, aut quispiam Canonicus ad dictam Civitatem Granatensem pro celebratione Missæ cantatæ se contulerit ipsis Collegialibus eis ministrare non liceat.

§. V.

IPsi etiam Collegiales prævio examine ab Abate, & Rectore, & tribus examinatoribus à Capitulo nominatis, & postquam in ipso examine in grammatica, & latinitate probe instructi, & habiles ad ceteras eminentiores artes, sive Theologiam audiendam comperti fuerint, & non alias, prout in dicti Collegij constitutionibus fertur, recipi debeant.

§. VI.

HAbebunt lectionem ordinariam Artium, & Theologiae eis in ipso Sacro Monte legendam per per-

per-

personas ad id ab ipso Capitulo nominatas juxta studiorum suorum ordinem illis a Capitulo prescribendum, & dum in dicto Sacro Monte non fuerit commoditas, seu occasio Magistrorum, seu personarum, & ceterarum rerum ad legendam, seu docendam Theologiam, dicti Collegiales qui postquam in dicto Sacro Monte artibus studuerint, examinati habiles, & suficientes ad Theologiam audiendam fuerint reperti, poterunt de licentia Abbatis, & Capituli in Collegio Purissimae Conceptionis Beatae Mariæ Hispalensi, aut in alio arbitrio Capituli illam audire, & studere, non tamen sumptibus Sacri Montis, quo tempore dicti Collegiales nullas distributiones lucri facient, sed in reliquis, & ad ordines suscipiendos ad titulum Collegij iuxta constitutionem septimam huius tituli veri Collegiales remaneant, poterit Abbas, & Capitulum tempore vacationum, prout in Communitate locus, & commoditas fuerit, licentiam concedere Collegialibus, ut ad dictum Sacrum Montem possint accedere, & in illo per duos menses in aestate seu verè, com morari quolibet anno in quibus in supradicta forma absentiam fecerint, quibus duobus mensibus salarium accipere minimè possint.

§. VII.

ET quia per Paulum Prædecessorem, & Sedem Apostolicam huiusmodi concessum est, quod ipsi Collegiales sub Collegiali titulo etiam si nullum alium habent

beant titulum, ut infra in titulo privilegiorum expressum est, ad Sacros Ordines promoveri possint, pro felici, & bona vindicta huiusmodi executione dictus Petrus Archiepiscopus Provisum esse voluerat, quod ipsi Collegiales ad eosdem Sacros ordines non nisi post suorum Artium, & Theologiæ studiorum consumationem promoveri queant, quodque absoluto ab eis Theologiæ studio ab ipsis Abbatore, & Rectore Collegij, ac aliis tribus Canonicis examinatoribus à Capitulo nominatis examinentur, & qui à maiori eorum parte approbati fuerint in Capitulo proponentur, in quo eorum sufficientiæ, aliarumque qualitatum, ut ad Sacrum ordinem admittantur, relatio fiet, & facta propositione Capitulum illos per vota secreta admittet vel reprobabit, & resolutioni à tribus, ex quatuor partibus captæ stari debeat, in eorum verò admissione, vel reprobatione non solum ad scientiam, sed præcipue ad virtutum, inclinationes capacitatem, spem, & inditiam, ex quibus concipi possit eos ad Capellanias, aut alias eiusdem Sacri Montis Præbendas consequendas quodquidem fundamentum, seu scopus eorum educationis est, aptos fore, attendi debeat, quique sic aprobatæ atque admissi in eodem Collegio retineri, cæteri verò qui reprobati fuerint dimitti, & alii de novo retentorum, atque dimissorum loco in Collegiales qui huiusmodi studiis incumbant, admitti, & subrogari debeant: & ex his approbatis Capitulum concurrentibus tribus, ex quatuor par-

tibus, eos eligat, qui sacris erunt initiandi, habita consideratione, ad eos qui in ipso Sacro Monte sustentari poterunt, & ad Capellanorum numerum, qui tunc fuerit, ita ut sic sacris initiatorum numerus, duodenarium non excedat, nisi tamen redditus ad sustentationem majoris numeri satis sint. Et qui ita egregius, & eminens existat, ut Capitulum eum nemine discrepante, ad titulum Collegii ordinandum, supra numerum duodecim huiusmodi eligendum duxerit.

§. VIII.

UTQUE quis ex Collegialibus ad titulum Collegij servata induiti Apostolici huiusmodi forma sacris iniciari valeat, contractus hinc inde iuratus inter Capitulum, & sic promovendum iniri debeat; quo Capitulum se erga eum pro illius sustentatione, in ipso Collegio juxta modum, & formam, qua prius apud illud residen- do, nec alias, & donec, vel Canonicatum, & Præben- dam ejusdem Sacri Montis, vel aliud Beneficium Eccle- siasticum, aut pensionem, sive patrimonium, ex quo con- grue sustentari possit, assecutus fuerit, seu alias ac- quisiverit, & de eo absque iuxta causam ab Ordinario Granatensi pro tempore existente approbanda, non exclu- dendo, & versa vice se erga Capitulum de non dis- cedendo ab ipso Collegio, & eiusdem Sacri Montis ser- vicio, donec aliunde habuerit, unde congrue, ut præ- fer-

fertur sustentari possit, & de non petendo ab eodem Sacro Monte quicquam pro eius sustentatione, si ab eo voluerit discedere, vel alio casu ab eodem Ordinario Granatensi, ut præfertur approbando, exclusus fuerit, obligatus respectivè teneatur.

§. IX.

STATIM ETIAM QUO QVISQUE COLLEGIALIS IN SACRO PRESBYTERATUS ORDINE CONSTITUTUS EXITERIT IPSE OFFICIO CAPPELLANI IN ECCLESIA EIUSDEM SACRI MONTIS AD INSTAR ALIORUM EIUDEM COLLEGIATÆ ECCLESIAE CAPELLANORUM IUXTA PRESENTIUM CONSTITUTIONUM DISPOSITIONEM FUNGI TENEATUR, & EA RATIONE MANUALIBUS, MEMORIIS, ATQUE ANNIVERSARIIS QUIBUS CETERI CAPELLANI GAUDENT, GAUDERE DEBEAT, DISTRIBUTIONUM TAMEN PARCIPES NON SIT.

§. X.

QUIQUE SIC SACRO ORDINE INITIATI FUERINT IN EODEM COLLEGIO, UT PRIUS ABSQUE ALTERATIONE VEL MUTATIONE VITÆ SEÙ STATUTORUM COLLEGIALIUM REMANERE, AC IN CHORO, & ALTARI ALIISQUE MINISTERIJS, PRÆTERQUAM TABULARUM, SEÙ MENSARUM, & ALIARUM RERUM, & ACTIÖNUM ABBATIS ARBITRIO, HABITA TAMEN CONSIDERATIONE AD ORDINEM QUO INITIATI FUERINT, INSERVIRE TENEANTUR, PRISTINUM QUE LOCUM RETINERE DEBEANT, NEC SEDEM IN CHORO HABEANT, STATIM VERO QUÒ SACERDOTES FUERINT, EIS CELLA, SEÙ CAMERA EXTRA COLLEGIUM IN DOMO DICTÆ COLLEGIATÆ EC-

clesiæ assignari debeat, tuncque etiam in Refectorio Canonorum, & Capellanorum, in quo etiam in Choro immediate post Capellanos, servata antiquitatis inter se præminentia, sedem habebunt, donec in Capellanos admissi fuerint, quo casu cum eis etiam privilegium antiquitatis acquirant.

TITULUS XXIV. §. I.

De Capitulo.

Capitulum quoque in loco deputato semel singulo quoque mense primo die non festivo, & ulterius quoties pro occurrentibus negotiis, quæ expeditionis brevitatem requirant, expediens fuerit, congregari iussu Abbatis, vel eo absente Præsidentis, pridié intimari debeat, nisi negotio ita urgente ad sequentem diem differri queat, hora per Abbatem, vel Præsidentem designanda, dummodo non sit tempore quo horæ recitantur, & Missa maior celebratur, & in primo capitulo cuiuslibet mensis de ceremoniis in Ecclesia, & Choro servandis, de relaxatione si aliqua fuerit circa observantiam constitutionum morumque laudabilium, ac de maiori bono, & augmento divini cultus in primo loco agendum, & tractandum sit.

§. II.

IN Capitulo ipse Abbas, vel eo absente Præsidens, utroque eorum absente, antiquior Canonicus præsidebit cum

cum postestate proponendi negotium in ipso Capitulo tractandum, & resolvendi, quod a maiori parte, aut in casibus in his constitutionibus expressis a duabus, vel tribus partibus comprobatum fuerit, & etiam ipsum Capitulum disolvendi, ita tamen quod si negotium propositum, & incepsum resolutum non fuerit, ipsum Capitulum non nisi de voto maioris partis illius disolvi possit, & si quispiam ex Canonicis aliquod negotium proponere voluerit, id de mandato Abbatis, seu Præsidentis licentia, qui illud tractari jubeat facere possit, & juxta illud, quod expedierit resolvi debeat.

§. III.

SOlique Canoniçi in Sacris constituti in Capitulo præsentes, & non alii in eo votum habeant, & in votorum paritate ea pars cui votum Abbatis, vel eo absente Præsidentis adhærebit, prævaleat, sed in electionibus, quod in titulo electionis hujusmodi decretum est observari debeat.

§. IV.

ET si de negotio Abbatis, vel alicuius Canonici, aut illorum consanguinei, vel affinis intra quartum gradum sive familiaris, aut alumni tractandum erit, eo casu ipse Abbas, vel Canonicus, cuius interest egredi teneatur.

OMNES in ipso Capitulo sedere, & secundum ordinem cuiusque antiquitatis, antiquiore inchoante sua vota seu suffragia dare debeant, ac Abbas, vel Præsidens primus, vel postremus, prout sibi videbitur votum sive suffragium suum dabit, eique qui votum suum dedit non nisi votis ab omnibus aliis datis denuo loqui liceat, postquam vero omnes sua vota dederint, liceat singulis ea quæ sibi occurrerint, gradatim eodem antiquitatis ordine servato, quod intelligi debet de negotiis, pro quibus vota publicè dantur, in negotiis vero, pro quibus secreto vota feruntur, voto semel dato, ipsoque negotio ex pluralitate votorum resoluto, nulli replicare fastisit, in his tamen quæ per vota, seu suffragia secreta tractanda erunt, Abbatii, & Canonicis eodem ordine servato, ante votorum exquisitionem liceat ea quæ sibi animadversione digna occurrerint proponere, & si quis post hæc aliquid replicandum duxerit, id prævia Abbatis, vel Præsidentis licentia, nullo alio antiquiore replicare querente, sibi concedatur, & hæc omnia cum omni modestia, atque prudentia, & absque altercatione, strepitu, & rumore fieri debeant. Abbatii, sive Præsidenti ad ejus libitum finem similibus conferentiis imponere liceat.

totum est. capi. 1. §. VI.

IN casibus per præsentes constitutiones designatis per vota secreta, & aliis Capitulo benevisis si pro majo-

ri

ri parte resolutum fuerit procedi debeat; & in ipso Capitulo negotia administrationem bonorum concernentia, & ea quæ à Congregatione Assistentium, atque Administratorum ad Capitulum recursum habuerint, electiones etiam ad Præbendas, Officia, Capellanias, & Collegaturas, cæteraque alia, quæ ex dispositione præsentium Constitutionum in ipso Capitulo veniunt tractanda, tractari debeant, reliqua verò per solùm Abbatem, vel Presidentem, in consultationibus juxta formam earumdem præsentium constitutionum absque eo quod Capitulum in illis sese intromittere valeat, tractari possint, & in quolibet Capitulo actus Capitularis præcedens, & commissiones nondum executæ legi debeant.

Art. VII. De regimine Domus.

AC omnia quæ in ipso Capitulo tractata fuerint sub pœna fractionis juramenti ab eis super observantia præsentium constitutionum præstiti, ab omnibus, qui Capitulo interfuerint, abdita retineri debeant.

TITULUS XXV. §. I.

De regimine Domus.

INsuper Abbas, Canonici, & Capellani sumptibus Sacri Montis huiusmodi, ut dictum est, sustentandi erunt, omnesque insimul in refectorio, Abbas scilicet, & Præsidens, in locis dignioribus, & successivè Canonici, & deinde Capellani quilibet secundum suæ antiquitatis

ordinem discubentes, & à Dominica Resurrectionis Dominicæ usque ad diem festivitatis Dedicationis Sancti Michaelis hora decima cum dimidia ante meridiem prandere, & hora octava de sero cœnare, & pro residuo anni tempore hora undecima ante meridiem, de serò autem hora octava cum dimidia cœnare debeant. Tamen si ex aliquationabili causa horæ huiusmodi immutandæ fuerint, id Abbatis, sive Præsidentis iudicio fieri poterit.

§. II.

AC durante prandio, & cœna lectio Sacræ Bibliæ, aut alterius libri spiritualis Abbatii benevisi per unum ex Collegialibus haberi, & aliis sive alij si opus fuerit in mensa ministrare teneantur.

§. III.

ET temporibus quibus carnibus vesci licet Abbati, Canonicis, & Capellanis in prandio unus arbitrio Abbatis conditarum, & alter carnium decoctarum, seu elixarum, non tamen volatilium, præterquam ex causa infirmitatis; in cœna verò unus carnium conditarum discus, seu patina, & in principio, & in fine prandij, atque cœne aliqui fructus arbitrio Abbatis, panis autem, & vini, quod necessarium fuerit; aliis verò temporibus, quibus esus carnium est prohibitus, quatuor fercula, seu patinæ in ipso prandio præter fructus qui

in

in principio, & in fine juxta Abbatis ordinationem apponendi erunt ; in cœna autem unum tantum ferculum diebus quibus non jejunatur , & festivis diebus Abbatii, & Capitulo benevisis in prandio unum aliud sive duo alia fercula obsonii pro extraordinario Abbatii benevisi subministrari debeant.

§. IV.

Nulli etiam Canonicorum , vel Capellanorum liceat quempiam ad prandium , vel cœnam in refectorio , aut etiam in privata eius mansione absque particuliari Abbatis , vel eo absente Præsidentis licentia invitare , nec etiam in eisdem refectorio , & mansione sumptibus Sacri Montis absque simili licentia raro , & non nisi ex causa gratificationis eiusdem Sacri Montis , aut alia digna ratione , & iusto respectu concedenda , nec cuiquam sua portio extra refectorium commune dari , aut in culina aliquid particulare etiam proprium sine ipsius Abbatis licentia , non nisi ex necessaria causa concedenda , apparare liceat.

§. V.

Quicquid pro Refectorii , & culinæ , cæterarumque domus officinarum servitio necessarium fuerit, sumptibus mensæ capitularis emi debeat, eisdem sumptibus famuli quicunque pro eodem servitio necessarii sustentandi erunt , & ipsorum salario solvenda sine ulla distinctione , etiam si pro Capellanorum , vel Collegia-

lium , aut aliorum Ministrorum sumptibus fabricæ sus-
tentandorum , cui solummodo sustentationis hujusmodi
expensas imponi debeat , nec quicquam aliud necessa-
rium pro illius dispositione , vel servitio , aut manduca-
tione.

§. VI.

Liceat demum Capitulo semel vel bis in anno tem-
pore eis beneviso animos relaxare extra ipsum Sa-
crum Montem una cum convenienti Capellanorum , &
Collegialium numero dummodo saltem medietas residen-
tium apud illum pro illius servitio remaneat: Ita tamen
quod ipsæ animi relaxationes , seu recreations pro qua-
libet vice ultra quindecim dies non durent , ex quibus
octo cūlibet medietati Capituli , & aliorum Ministro-
rum concessi intelligantur , & ipse relaxationes tempore
non occupato desumantur , in hisque recreationibus fer-
cula extraordinaria superius in constitutione tertia ex-
pressa concedi possint , proviso quod ipsi cum omni ho-
nestate , & modestia insimul recreari debeant , respicien-
do quod hisce recreationibus ad eum finem utantur , ut
postea cum maiori fervore , & alacritate ad sua spiri-
tualia exercitia redeant , quod quidem in hisce
recreationibus corrumpi non
debet.

TITULUS XXVI. §. I.

De Archivio.

Insuper in ipso Monte Sacro , & loco ipsi Capitulo beneviso adsit Archivium duabus differentibus clavibus clausum, quarum Abbas, seu Præsidens unam, Secretarius verò Capituli alteram tenebit; in eodem verò Archivio erunt duæ divisiones , & in una , quæ aliis etiam seris , seu clavibus duabus differentibus obserata, seu munita existat , quarum similitér Abbas unam , & Thesaurarius alteram claves habeant, erunt universæ laminæ cupreæ trium librorum fundamenti nempè Ecclesiæ , ac de essentia Dei , & illius historiæ, quos dictus Petrus Archiepiscopus in ere cupro per incisionem inscribi, seu sculpi curabit cum eisdemmet Salomonis characteribus Arabicis, prout in ipsis originalibus habentur, observari , & custodiri debeant. Item quicquid ex tribus eisdem libris in charta , vel papyro impressum , vel excussum fuit. Præterea transumpta Arabica manuscripta omnium eiusdem Sacri Montis librorum , traductiones quoque , atque declarationes librorum eorumdem , processus itidem originalis super qualificatione reliquiarum eiusdem Sacri Montis ; volumen præterea magnum involutum in quo pleraque sunt ad hujusmodi Reliquias pertinentia, in cuius principio inventarium in eo contentorum habetur , necnon fasciculus scrip-

scripturarum ad easdemmet Reliquias , & libros , qui
in ipso Sacro Monte reperti fuerunt , & denique scrip-
turæ fundationis ipsius Collegiatæ Ecclesiæ , ac litteræ
Apostolicæ erectionis eiusdem in Collegiatam , & liber
constitutionum illius originalium , & illic omnia supra-
dicta obseruentur , & custodiantur.

§. II.

IN altera autem Archivii huiusmodi parte , seu divi-
sione omnes laminæ in cupro apertæ sive sculptæ
laminarum Sanctorum Cecilij , Hiscij , Thesiphonis , &
Mesitonis , necnon descriptionum Montis , illiusque Ca-
vernarum , seu Cryptarum , ac sigillorum , lapidum quo-
que in quibus libri reperti fuerunt , tegmentorum quoque
librorum de Essentia Dei , nec non fundamenti Ecclesiæ ,
cæteraque alia , quæ ipse Petrus Archiepiscopus ex ere
seu cupro confici etiam curavit , Prothœcollum itidem
sive liber vicissitudinarius , seu qui del Becerro vulgo
vocatur , in quo bonorum omnium stabilium eiusdem Ec-
clesiæ Collegiatæ illorumque actionum , & jurium ratio
descripta est . Universi quoque tituli , & scripturæ bo-
norum eorundem , bonorumque illius movilium Inventaria
litterarum Apostolicarum , & fundationis præfatæ Colle-
giatae Ecclesiæ , necnon alterum constitutionum prædic-
tarum , transumpta authentica , aliæque alicuius momenti
scripturæ utpotè executoriæ provisiones Regiæ , litteræ
quæ-

quæcumque Apostolicæ etiam per Breve expeditæ, transactiones , ac etiam puritatis originariæ informationes, aliaque similia servari , & custodiri debeant , reliquæ verò scripturæ affictuum, seu locationum, computorum, vel rationum, & rerum similium ad rei computatoriæ absolutionem , seu expeditionem spectantes, in ea sub computatorum custodia , & clavibus conserventur.

§. III.

IN eodem insuper Archivio unus liber habendus sit in quo per inventarium universæ scripturæ in eo nunc , & pro tempore existentes describi debeant , & alter in quo Secretarius Capituli scripturarum exinde pro tempore extrahendarum notam, sive memoriam suæ nempe diei , mensis , & anni Datæ roboratam , & manu personæ extrahentis subscriptam vel firmatam sumere teneatur ; & si Capitulo pro potiori custodia , & securitate scripturarum huiusmodi aliud archivium, in quo earum transumpta , aut duplicata asservari possint , habere visum fuerit , eis illo uti liceat.

T I T U L U S XXVII. §. I.

De Privilegiis.

Cumque idem Paulus prædecessor in litteris Apostolicis erectionis dictæ Collegiatæ Ecclesiæ superius

relatis ejusdem Petri Archiepiscopi suplicationibus , & precibus inclinatus eidem Sacro Monti subsequentia pri- vilegia concessisset.

§. II.

QUod scilicet Abbas , & Canonici, cæterique ejusdem Sacri Montis Ministri , qui ad confessiones audiendas , & Sacramentorum administrationem ab Archiepiscopo Granatensi pro tempore approbati fo- rent easdem confessiones audire , ac Sanctissimum Eu- charistiæ Sacramentum omnibus Christi fidelibus ad Sa- crum Montem præfatum devotionis causa confluentibus administrare valerent.

§. III.

ET ipsi Abbas videlicet , Canonici, Capellani, Col- legiales , & cæteri Ministri dicti Sacri Montis, mediante sacramentali confessione, & ejusdem Sanctissi- mi Eucharistiæ Sacramenti in ipso Sacro Monte suscep- tione præcepto Ecclesiæ etiam in festo Resurrectionis Dominicæ satisfecisse censerentur.

§. IV.

Eisque etiam in ipso Sacro Monte Sacrosanctum oleum pro infirmis universæ illius familie as- servare.

Et

§. V.

ET eorum omnium pro tempore decedentium cadavera in eodem Sacro Monte , & loco ad id designato sepeliri possent.

§. VI.

ET ipsi a jure Parrochiali immunes , & liberi essent.

§. VII.

Nec etiam ad quascumque processiones particulares , vel generales in dicta Civitate Granatensi celebrandas accedere , aut illis interesse tenerentur.

§. VIII.

Quodque ipse Petrus Archiepiscopus plenam , & liberam dicti Sacri Montis, illiusque bonorum administrationem, totalemque jurisdictionem, ac merum , & mixtum imperium spirituale* in omnes ipsius * Sacri Montis personas quoadvixerit haberet.

§. IX.

ET eo decedente Abbas , & Capitulum praedicti similem plenam , & liberam ejusdem Sacri Montis bonorum , & illius fabricae administrationem etiam habent. Absque eo quod pro tempore existens Archiepiscopus Granatensis, se in illa , & Capitulum dictae Ecclesiae Granatensis Sede-Archiepiscopali vacante in regimine personarum , & bonorum , ac cuiusvis alterius rei eius-

eiusdem Sacri Montis, vel etiam in provisione illius prebendarum ullo modo intromittere possent.

§. X.

AC Abbatia necnon Canonicatus, & Præbendæ dictæ Collegiatæ Ecclesiæ sub quibuscumque reservacionibus specialibus, vel generalibus hactenus per eandem Sedem Apostolicam factis, & in posterum faciendis ulla-nus comprehendenderentur.

§. XI.

ET quod licèret eidem Petro Archiepiscopo ejus vita durante eorundem Sanctorum Martyrum Reliquias, & libros sibi divina clementia in dicto Sacro Monte manifestata, & revelata penes se, vel sub ejus custodia tenere, ita tamen quod eo defuncto in eodem Sacro Monte perpetuo, absque eo quod quævis persona cuiusvis qualitatis, Reliquias, seu libros aut quamvis illarum seu illorum partem inde ex quavis causa extrahere, aut amo vere posset.

§. XII.

Quodque ipsa Collegiata Ecclesia in suæ fundationis statu, prout erat, & foret fundata perpetuo conservaretur, & manuteneretur, absque eo quod ullo unquam tempore Archiepiscopus, nec Sede Archiepiscopalí Granatensi vacante illius Capitulum illum valeret immutare, alterare, vel alias donare, aut concedere, nec de eo disponere ullo alio modo, aut forma.

Ip-

§. XIII.

Ipsaque Collegiata Ecclesia, & illius personæ omnibus, & singulis privilegiis facultatibus libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, præminentiis, prælationibus, concessionibus, indultis, favoribus, & gratiis spiritualibus, & temporalibus aliis similibus Collegiatis Ecclesiis Hispaniarum insignibus, earumque Abbatibus, Canonicis, aliisque Ministris, & personis, necnon Christi fidelibus illas visitantibus etiam omnia, & singula premissa eisdem Ecclesiis per viam concessionis, vel communicationis, ac quibus eadem Ecclesiæ utebantur, & gaudebant, vel de jure, privilegio, vel consuetudine uti & gaudere poterant, uti, & gaudere possent, concesserit. Et ut dictus Sacer Mons hujusmodi concessione uti, & frui posset exhortabatur, & ordinabatur per dictum Petrum Archiepiscopum quod Abbas, & Capitulum diligenti cura, atque diligentia, transumpta, & testimonia authentica privilegiorumque, & aliorum superius expressorum aliarum Ecclesiarum Collegiatarum Hispaniæ Regionum colligere, & extrahere, eaque in Archivio ipsius Sacri Montis collocare studeant, illorumque inventarium, seu Catalogum, ut exinde quicquid ad id pertinet, & quibus privilegiis illæ, earumque personæ gaudere possunt, certo sciant.

§. XIV.

Cumque insuper idem Paulus prædecessor per quasdam litteras Apostolicas desuper per Breve sub annulo Piscatoris de anno Domini millesimo sexcentesimo decimo septimo, expeditas, Collegialibus ejusdem Sacri Montis concessisset, ut ad omnes Sacros, etiam Presbyteratus ordines, ad titulum Collegii etiam si nihil aliud possiderent, modo quo supra in titulo vigesimo tertio, Collegialium septima, & octava constitutionibus expressum est, promoveri possent.

§. XV.

Neçnon per alias litteras similes dilectos filios Magistrum Aloysium Gallo in utraque Signatura nostra tunc sua Referendarium, necnon Malacitani, & Gadicensi Officiales pro tempore existentes in Judices conservatores deputaverit, ad quorum quemlibet, casu quo quælibet persona quidquam contra enundem Sacrum Montem in illius privilegiorum, & concessionum præjudicium alterare præsumeret, in quibusunque casibus recursus habendus esset.

§. XVI.

Et ulterius præfatæ erectionis literarum prædictarum tenore, ut Abbas, & Canonici in Choro cappas nigras temporibus quibus Ecclesia illis utitur gestare possent.

§. XVII.

ET quod Abbas etiamsi Canonicus non esset, vocem in Capitulo haberet, & in paritate votorum ejus votum majorem partem ficeret, necnon Canonicatus, & Præbendæ dictæ Collegiatæ Ecclesiæ in Februarii, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris, & Decembribus mensibus pro tempore vacantes, post ipsius tamen Petri Archiepiscopi obitum, personis idoneis conferre posset concessisset, & indulsisisset.

§. XVIII.

IDem Petrus Archiepiscopus hortabatur, & monebat Abbatem, & Canonicos ut beneficium eis à Sede Apostolica præfata in concessione gratiarum, & Privilegiorum hujusmodi gratiōsē attributum gratum habentes, & magnifacientes, ac eisdem gratiis, & privilegiis utentes, & gaudentes, non illa per negligenciam oblitterari seū amitti paterentur.

TITULUS XXVIII. §. I.

De Vita, & honestatē personarum Sacri Montis.

Quodque ut Abbas, & Canonici, aliæque ejusdem Sacri Montis personæ Sanctorum Martyrum quos observant atque colunt vestigia sestantes, atque imitantes in eorum officio, & ministerio iuxta eiusdem Petri Archiepiscopi intentionem succedentes, ita vivant, & procedant ut eorum exemplari vita alios ad perfectionis

viam

viam commoverent, & invitarent, & in omnibus suis tam secretis quam publicis actionibus, suis se officiis conformes redderent, ac prædicatione virtutumque, & proborum morum, documentis, quod eorum principale institutum esse debeat, correspondeant, idem Petrus Archiepiscopus eos per Sacratissimam Domini nostri Jesu Christi Passionem, & mortem, necnon eorundem Sanctorum Martyrum etiam exhortabatur, & monebat, ut totum eorum studium in vita morumque moderatione, ac in reformatiis, & corrigendis eorum inclinationibus maximè niterentur conformando se in omnibus vitæ evangelicæ, religiosæ, & Christianæ singulique ita se haberent, ut in eorum vita, & moribus esset quod imitandum veniret, eisque præsertim commissum, & mandatum esse voluerat ut summa cum modestia, & honestate procedant, & à quibuscumque contrariis conversationibus, visitationibus, amicitiis, & consuetudinibus caverent, easque statim quo ab Abbatè moniti fuissent dimitterent, ipseque Abbas eos ad id sub pœnis sibi benevisis obligare posset.

§. II.

Nulli insuper ex supradictis personis liceat vestes sericas, nec cujusvis coloris tam interius, quam exterius vel cuiuscumque generis arma etiam extra dictum Montem Sacrum, nec etiam iter agendo gestare, quod si Abbas quempiam similibus instructum ad nimadverterit

iisdem eum privet , & alicui pauperi donet , illumque
præterea pœna sibi benevisa mulctet.

§. III.

Nec illis etiam intus neque extra Montem Sacrum huiusmodi liceat folijs lusorijs de re quacunque quantumvis minima, neque etiam in recreationibus , nec quovis etiam alio ludo absque Abbatis licentia , ac in tempore & loco , ac cum personis Ecclesiasticis ab eo designandis, ludere liceat.

§. IV.

Nefas quoque sit cuiquam annulos , odores , chiro- tecas , aut calceos super incisos , nec etiam pi- leos ornatos , sed tantummodo funiculo sericeo, vel etiam fascicula sericea circundatos , nec etiam superpellicea linteola , aut sudaria reticulata, vel acu picta gestare, & si quis eorum aliqua habuerit Abbas illud ei auferat , & pauperibus dispensem , & aliis etiam sibi benevisis pœ- nis afficiat.

§. V.

Singuli Presbyteri Missam ferè semper legitima ces- sante causa celebrare teneantur , & Abbas eum qui notabiliter absque legitima causa celebrationem omi- serit arbitrio suo corrigat; Missamque ipsam debita quie- re , & devotione celebrent ad unguem ritu Romano, in quo apprime instructi sint, quod & Abbas maxime curet.

§. VI.

CApillum etiam æqualiter & sine ulla differentia tonum & depresso capite, barbamque brevem & æqualem, tonsuram quoque clericalem pro sui cuiusque ordinis qualitate eformatam gerere, ipse Petrus Archiepiscopus iusserat.

§. VII.

Et si Abbas cuiquam de ipso Sacro Monte egredienti socium dederit, is ab ipso egrediente admitti, & eum secum donec ad dictum Sacrum Montem redierit, retinere teneatur.

§. VIII.

Dicitus quoque Petrus Archiepiscopus cautum esse voluerat nequævis mulier in ipso Sacro Monte in quocunque ministerio inservire queat, neque Abbatibus & Canonicis, aut cuivis alij eiusdem Sacri Montis personæ liceat particularem aliquem famulum vel mulam habere, cum sumptibus ipsius Sacri Montis, omnibus, & singulis famulatum seu servitium necessarium domi forsique sit subministrandum.

§. IX.

Et ne etiam cuilibet ex personis dicti Sacri Montis liceat onus, & curam cuiusvis alienæ litis Ecclesi-

clesiasticæ , vel secularis , aut diligentiam aliquam circa eam, etiam si cuiusvis personæ coniunctissimæ adhibere, & si proprias lites sustinuerint, easdem prosequendas quantum fieri poterit personis quę illas ita sollicitent , quod ipsi per plateas & Audientias, vel officia Tabellionum vel Notariorum discurrere non videantur, & si circa propriam litium huiusmodi solicitationem aliqua personalis diligentia adhibenda fuerit , id cum Abbatis licentia fieri debeat.

§. X.

VOluerat denique idem Petrus Archiepiscopus Abbatem & Canonicos plenam pacem atque amicitiam intersetse fovere , nec inter eos odium vel dissimilitatem locum habere , & si odium vel similitas , aut differentia aliqua intercesserit , illa antequam in Chorum ingredi possint componi , & conciliationem inter eos fieri, nec antea in ipso Choro ab Abate vel Præsidente qui eos ad mutuam conciliationem pœnis sibi benevisis compellere possit, admitti debeant, & si ipsa differentia ultra triduum duraverit , & adhibitis diligentij*s* nihil effectum fuerit , Capitulum efficaciora remedia etiam per personarum strictam coarctationem , aut etiam persustentationis seu partis illius donec ad debitam compositionem deventum fuerit , detractiones adhibere possit.

TITULUS XXIX. §. I.

De Pœnis.

Cumque in his constitutionibus provisum sit suis distinctis locis quibus pœnis & à quibus, & quomodo plectendi sive coercendi veniant qui circa materias ibi tractatas excesserint, idque observari debeat, & quia graviora delicta graviorem quoque animadversiōnem, & punitionem requirunt, idcirco dictus Petrus Archiepiscopus statuto cautum esse voluerat, quod si Abbas dictæ Collegiatæ Ecclesiæ aliquod delictum commiserit exemplarem punitionem seu correctionem requirens, idque donec visitationis tempus advenerit differre non conveniat, si ita Capitulo visum fuerit, aliquam personam quæ Archiepiscopum Granatensem pro tempore existentem de eo certiorem reddat, nominare, & ipse Archiepiscopus Granatensis inquisita veritate summarie & sine strepitu, & figura iudicij quoad fieri poterit procedendo, eum prout sibi expediens videbitur corrigere, aut castigare debeat, appellatione quacunque remotā etiam si usque ad privationem Abbatiae procedendum sit, ipseque Abbas sub pœna infrascripti iuramenti per eum super observantia harum Constitutionum parere teneatur.

§. II.

V Erumtamen si ipse Abbas suarum obligationum immemor aliquod scandalum aut malum exemplum,

plum, quod tamen pro gravi delicto imputari non possit, commiserit, Capitulum duobus Assistentibus iniungat ut illum ex ipsius Capituli parte moneant, & si huiusmodi diligentia nihil profuerit, iterum commoneri debeat, & si secunda monitio huiusmodi etiam inanis fuerit, & res ipsa iudicio Capituli emendatione digna fuerit, Capitulum eo casu aliquam personam nominet, quæ ex eiusdem Capituli parte Archiepiscopo Granateni pro tempore existenti referat, adhoc ut illum corrigat, ipseque Abbas predicti Archiepiscopi mandatis sub poena infractionis iuramenti parere teneatur.

§. III.

ET si aliquis Canonicus, aut alius dicti Montis Minister aliquod delictum scandalosum commiserit, vel ita incorrigibilis extiterit quod ad illius emendationem Abbatis correctiones & pœnæ illi ex officio, & invim suarum facultatum superius expressarum impositæ, satis non fuerint, Capitulum ad providendum desuper de efficaciori remedio congregari debeat, & si mitiores punitiones satis non fuerint, poterit contra eandem personam usque ad illius exclusionem ab ipso Sacro Monte, & privationem Canonicatus, & Prævendæ procedere, concurrentibus ad hanc sententiam tribus, ex quatuor partibus Capituli, vocatisque ad hoc Canonicis absentibus, & intra decem leucas existentibus, & illis per quatuor

Ka

dies

dies expectatis , ac in hoc & in aliis casibus in quibus expedierit, Capitulum vel Abbas in casibus ad eum spectantibus reum corrigere , eumque carceratum , vel reclusum sub arctatione , & custodia sibi benevisa ; tam pro securitate personæ , quam pro ejus correctione retinere poterit, ac etiam sustentationem , aut partem illius ad ipsius correctionem benevisam detrahēre , reusque ipse correctioni hujusmodi parendo , illam cum tota humilitate in recognitionem suæ culpæ absque appellationis remedio vel alio recursu ad quemcunque superiorem sub pœna infrascripti super observantia præsentium Constitutionum præstiti iuramenti, tolerare, & obedire teneatur.

§. IV.

UTque inter ipsius Sacri Montis personas præfatas pax atque unio conserventur , litesque , & contentiones presertim extra Montem Sacrum huiusmodi evitentur idem Petrus Archiepiscopus ne cuilibet ex personis huiusmodi liceat quamcumque aliam eiusdem Sacri Montis personam occasione cuiusvis gravaminis , contumeliae , aut iniuriæ etiam propriæ etiam in quacumque civili , vel criminali causa coram Archiepiscopo Granensi pro tempore existente, vel in alio quocumque Tribunali deferre , aut accusare , sed eius causam in ipso Capitulo tantum proponere qui percepta rei veritate differentiam componere , & ut gravato satisfaciat curare

de-

debeat, & si id mediis adhibitis obtineri nequeat, personam, quæ ipsius Capituli nomine causam prædicto Archiepiscopo Granatensi proponat, deputavit, qui de super via iuris prout sibi expediens visum fuerit provideat, ipsique gravati sub pœna infractionis iuramenti per eos super observantia presentium constitutionum præstigi, & etiam alii ab eodem Archiepiscopo Granatensi correcti pareant, cautum esse voluerat.

TITULUS XXX. §. I.

De curatione infirmorum, & funeralibus.

DEmum si aliqua eiusdem Sacri Montis persona infirmitatem inciderit, ipsa in ipsius mansione debita diligentia, & solitudine curari sibique de Medico, medicinis, medicamentis, cibis, aliisque rebus ad illius curam, & consolationem necessariis provideri, personaque, vel personæ quæ illi assistant, & serviant iuxta infirmitatis qualitatem destinari debeant, & in hoc Abbas particularem admodum solitudinem adhibere teneatur.

§. II.

ET si infirmitas periculo eventui supposita sit, Abbas ipsi infirmo si ultra diem infirmitas progressa fuerit, aut antea si expediens fuerit, ut confiteatur ordinabit, eidem verò infirmo Eucharistiæ pro Viatico, & extremæ unctionis Sacramenta, donec Medicus id expediens

diens esse iudicaverit, ministrari non debeant, & quando ex Medici consilio Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ministrandum erit, ut de bonis, & rebus suis testetur, & de rebus ad ejus conscientiam spectantibus disponat ab ipso Abbatè moneri debeat, ipseque Abbas aliquos Canonicos, vel Capellanos qui ipsum infirmum discursibus spiritualibus exhilarare, & consolari debeant, providendo ea omnia, quæ ad illius bonam dispositionem, si moribundus sit, necessaria iudicabuntur prout ipsi Abbat iuxta infirmitatis statum expediens videbitur, præsupponendo satius esse infirmum se ad mortem parasse, quam negligenter, & absque bona dispositione migrare, & si ipsa infirmitas usque ad mortis articulum processerit Capitulum convocare illudque infirmo assistere donec expiraverit, & preces animæ commendatitias ab Ecclesia ordinatas in communi recitare teneantur.

§. III.

SI verò ipsa infirmitas periculosa non fuerit, & in futurum conualuerit ipse in actu convalescentiæ formam in titulo residentiæ quoad patitur præscriptam observare debeat, & Capitulum ipsi convalescenti aliquod tempus ad reficiendas vires quo durante ipse convalescens in propria mansione manducare, & extra Montem in campo animi recreandi gratia expatiari poterit, ita ut infirmitatis, & convalescentiæ tempore delicate quan-

tum

tum opus fuerit ad resumendas pristinas vires tractari sibi
que indulgeri debeat , poteruntque eidem convalescen-
ti dies convalecentiae in aliqua ex ipsius Sacri Montis do-
mibus in illius campo existentibus, prout Abbatii videbitur,
concedi, gaudendo privilegio infirmitatis vulgo patitur.

§. IV.

Nulli infirmo liceat ad Civitatem Granatensem ad eius curationem , seu medicationem se conferre , nisi Medicus id eius saluti dixerit esse summopere necessarium , & universum Capitulum in id convenerit , & eo casu Capitulum illi tempus quo moram in ipsa Civitate Granatensi , & in domo iudicio ipsius Capituli ab omni suspicione aliena, facere poterit, secundum infirmitatis progressum , & illius necessitatem praefigere debeat , eique illic Medicus , & medelæ , seu medicamenta cum reliquis ad illius curationem , & sustentationem necessariis, ac si in ipso Sacro Monte existeret subministrari debeant, & postquam convaluerit , ac foras egredi potuerit directè ad ipsum Sacrum Montem sub pena amissionis omnium punctorum sibi ratione infirmitatis , & illa durante signatorum redire teneatur , sed extra Ci- vitatem praedictam Granatensem , ad nullum alium locum inullo casu poterit se conferre pro se sumptibus , & expensis Sacri Montis curando , aut medicando.

Cadavera decedentium, ab ipso Capitulo in loco ad id designato, cum pompa funebri, & solemnitate statui, & dignati decedentis iudicio capituli, convenienti sepeliri, & cera ad sepulturam, & novenarium, aliaque funebria officia, hoc modo: videlicet pro Abbe, & singulis Canonicis, duodecim faces, & iuxta cadaver vigintiquatuor candelæ, & ad Altare sex apponi: alijsque singulis, Canonicis, Capellani, & Collegialibus candelæ etiam pro funeralibus, ac Missa funerali, seu depositionis defuncti cum suo responsorio, necnon pro Missa, & responsorio novenarij; pro Capellani vero, & Collegialibus sex faces, & pro alijs inferioribus ministris quatuor: & ad Altare totidem candelæ, seu lucernæ, una cum alijs sepulturæ, seu humationis expensis, fabricæ sumptibus, subministrari debeat. Cera vero quæ supererit, fabricæ restitui debeat: & in die depositionis defuncti officium, seu vigilię mortuorum decantari, & Missa etiam decantata pro cuiusvis defuncti supra dicti animæ salute, & refrigerio, si ad id hora competens fuerit, sin minus officium, seu vigilię, & sequenti die Missa huiusmodi celebrari debeat: singulique dicti Sacri Montis Presbyteri præsentes, seu absentes, unam submissa voce pro ipsius defuncti, pro Abbatis vero, & singulorum Canonicorum animarum salute, & refrigerio, tres Missas celebrare tenebuntur. Et

ulterius pro simili ipsius Abbatis, singulorumque Canonicorum, novennarium Missarum submissa voce celebrandarum cum responsorijs decantatis, animarum salute, & refrigerio, & novissimo eiusdem novennarij die, vigilia, Missaque cum suo responsorio, super defuncti sepultura decantari, ipseque Missæ, inter tres Missas, quas quilibet Canonicus celebraturus est, annumerari debebunt. Qui vero Presbyteri non fuerint, tres rosarij partes, pro simili defuncti animæ salute recitare, & tres Missas audire: Diaconi autem, & Subdiaconi tres officij defunctorum nocturnos, recitare tenebuntur, & eadem met suffragia pro simili animarum salute, & refrigerio personarum ipsius sacri Montis, quas extra illum pro tempore mori contigerit, si ex causa legitima, & in casibus eis ex forma præsentium constitutionum concessis, absentes fuerint, celebrari, & recitari debent.

TITULUS XXXI. §. I.

De Visitatione Sacri Montis.

Liceat denique Archiepiscopo Granatensi pro tempore existenti Collegiatam Ecclesiam ac Sacrum Montem huiusmodi illiusque personas, & bona singulis annis semel tantum visitare, ipsam autem visitationem per se ipsum, vel per eius officialem seu Provisorrem ordinarium, non autem per alium quemcunque Visitatorem, & per præsentes constitutiones disposita fac-

ce-

cere, observari, & adimpleri, fractores corrigere, & castigare teneatur, & quicquid in ipsa visitatione decreatum fuerit, si hisce constitutionibus contrarium non fuerit, omni, & quacunque appellatione remota, & quo-
cunque recursu sublato, observari, atque executioni man-
dari debeat.

§. II.

ET ut inquietudo quæ tempore visitationum oriri consuevit, minor sit, ipsa visitatio ultra mensem infra quem omnino absolvi debeat prorrogari non pos-
sit, sed quod in illa intra tempus mensis huiusmodi re-
solutum non fuerit ad proximam subsequentem visitatio-
nem differri debeat: cautum præterea esse voluerat, idem
Petrus Archiepiscopus ne pro ipsa visitatione scripturae
aut libri, vel aliquid aliud de ipso Monte Sacro in quo,
illiusque Archiviis omnia necessaria inspici atque videri,
scrutinia quoque, & alia acta, que in ipsa visitatione
fieri, & conscribi oportuerit in ipso Sacro Monte fieri,
& conscribi debere, nec de eo durante visitatione, ne-
que etiam illa absoluta nullatenus extrahi possint, sed
ipsius visitationis Notarius in eiusdem Sacri Montis lo-
co, qui ad id conveniens iudicatus fuerit, capsam sera
obseratam habeat, cuius clavem poenes se retineat, in qua
scripturas ad visitationem spectantes conservet, & vi-
sitatione absoluta in Archivio eiusdem Sacri Montis re-
poni, & conservari debeat.

De-

§. III.

Decreverat insuper dictus Petrus Archiepiscopus, quod ad ipsum Archiepiscopum Granatensem pro tempore existentem tam in ipsa visitatione, quam extra eam dubiorum quorumcunque super presentibus constitutionibus, earumque intelligentia pro tempore emergentium, dilucidatio, atque declaratio, si ab eo pro parte Abbatis, & Capituli, non tamen pro parte solius Abbatis, aut alterius personæ petita fuerit, spectet, convocatis prius ad id ante duos dies omnibus, qui in dicto Sacro Monte, aut in Civitate Granensi adfuerint, & in ipso Capitulo congregatis dubium erit proponendum, & differendum per alios duos dies, intra quos iterum congregati die præfixo per vota secreta per tres ex quatuor partibus, an petitio dictæ declarationis expeditat, erit capienda resolutio, quæ si fuerit, dictam declarationem petendi, petitionis huiusmodi modus tractetur, & conferatur, & nominabuntur Comissarii, qui dictam declarationem ab Archiepiscopo Granensi hujusmodi petant, eandemque potestatem declarandi sibi quoad viveret reservatam esse voluerat.

TITULUS FINALIS §. I.

De Juramento.

Quodque Abbas, Canonici, & Capellani infra-
criptum iuramentum super adimplemento, &

observantia earundem constitutionum præstare teneantur;
nempè Abbas Ego N. Abbas Ecclesiæ Collegiatæ Assumptionis Beatæ Mariæ Sacri Montis Illipulitani, quam in eodem Sacro Monte Illipulitano Illustrissimus, & Reverendissimus D. meus Petrus de Castro & Quiñones, Archiepiscopus Granatensis, & postea Hispalensis, suis sumptibus fundayit, dicto Archiepiscopo Domino meo, & Illustrissimo Archiepiscopo Granatensi pro tempore existenti obedientiam, & reverentiam promitto, & iuro secundum omnes constitutiones ab Illustrissimo Archiepiscopo Domino meo factas, & contra eas directe, vel indirecte me non opponam, nec reclamabo, neque etiam ab eis per modum injuriæ appellabo, & præsertim servabo illas, quarum observantia in eis injungitur, sub pœna hujus præstiti iuramenti, necnon jura dictæ Ecclesiæ inviolata custodiam, & secreta Capituli dictæ Ecclesiæ servabo, nec pandam, damna, & incommoda dictæ Ecclesiæ pro viribus vitabo, & pro electione Canonorum dictæ Ecclesiæ integritatem, & iustitiam servabo, sic me Deus adiuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

§. II.

CAnonici verò: Ego N. Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ Assumptionis Beatæ Mariæ Sacri Montis Illipulitani, quam in eodem Sacro Monte Illustrissimus Dominus meus Dominus Petrus de Castro, & Quiñones,

nes, Archiepiscopus Granatensis, & postea Hispalensis suis sumptibus fundavit, & erexit, dicto Archiepiscopo Domino meo, & Abbatii eiusdem Ecclesiae pro tempore existenti obedientiam, & reverentiam promitto, & juro secundum omnes Constitutiones ab Illustrissimo Domino meo Archiepiscopo factas, & contra eas directe, vel indirecte me non opponam, nec reclamabo, nec etiam ab eis per modum injuriæ appellabo, & præsertim observabo illas, quarum observantia in eis iniungitur sive iniungetur mihi a dicto Abbatte in re gravi sub poena præstiti iuramenti, neconon iura dictæ Ecclesiae quantum in me erit inviolata custodiam, & secreta Capituli eiusdem Ecclesiae servabo, nec pandam, damna, & incommoda dictæ Ecclesiae pro viribus vitabo, & pro electione tam Abbatis quam Canonicorum integritatem, & justitiam servabo: Sic me Deus adiuvet, & haec Sancta Dei Evangelia.

§. III.

CApellani autem dictæ Collegiatæ Ecclesie, atque Collegiales qui in presbyteratus ordine in ipso Sacro Monte promoti, & admissi fuerint, tempore suæ promotionis, & admissionis simile juramentum quod Canonici præstabunt, demptis his verbis, secreta Capituli servabo, nec pandam, & pro electione tam Abbatis, quam Canonicorum integritatem, & justitiam servabo.

De-

§. IV.

DEmum ipse Petrus Archiepiscopus declaraverat sue intentionis non esse quod quis in poenam hujusmodi iuramenti sive perjurii ex inobservantia cuiuscunque rei earundem constitutionum at praeterquam solummodo in casibus pro quibus haec pena adiecta reperitur, aut in casibus gravibus, quibus ipse Abbas aut Præsidens illam alicui Canonicō, seu Capellano in particulari opposuerit, necnon ab ipso Romano Pontifice, supplicari, ut idem etiam declarare dignaretur, & sic & non alias iuramentum factum sit, nec illud in alia quacunque forma ab Abate, Canonicis, & Capellaniis dictæ Collegiatæ Ecclesiæ præstitum esse intelligendum, & aliud quocunque forsam præstitum eis relaxari.

§. V.

AC postremo ipsas Constitutiones eidem Romano Pontifici ad effectum earum confirmationis juxta litterarum erectionis praedictæ presentari debere iusserat, prout in Statutorum, constitutionum, ordinationum, & Capitularum hujusmodi exemplari manu eiusdem Petri Archiepiscopi, ac Notarii publici dicti Petri Archiepiscopi Secretarii subscripto, suique parui sigilli impressione munito plenius dicebatur contineri. Et in eadem expositione subiuncto quod statuta, constitutiones, ordinaciones, & Capitula praedicta licita, & honesta erant, nec quic-

quicquam contra prædicti Concilii Tridentini decreta,
ac Constitutiones Apostolicas, aut alias Canonicas sanc-
tiones continebant, sed in Divini cultus, & bonorum
operum augmentum, & ipsius Collegiatæ Ecclesiæ de-
corem tendebant. Et propterea, ut ea eo firmius sub-
sisterent, ac ab omnibus, & singulis, quorum interesset,
& interesse posset, quomodolibet in futurum diligentius,
& exactius observarentur; dictus Petrus Archiepiscopus
plurimum cupiebat, illis per eundem Romanum Pon-
tificem Apostolicæ confirmationis robur adjici: quare
pro parte dicti Petri Archiepiscopi eidem Gregorio præ-
decessori humilitè supplicato, quatenus eadem statuta;
constitutiones, ordinationes, & capitula aprobare, &
confirmare, aliasque in præmissis opportunè providere
de benignitate Apostolica dignaretur. Idem Gregorius
prædecessor dictum Petrum Archiepiscopum, à quibus-
vis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliis-
que, Ecclesiasticis sententijs, censuris, & poenis à iure, vel
ab hominè, quavis occasione, vel causa latis, si qui-
bus quomodolibet innodatus existebat ad effectum infras-
criptorum dumtaxat consequendum, absolvens, & abso-
lutum fore censens, huiusmodi supplicationibus subdatis,
videlicet quinto Kal. Julij Pontificatus sui anno tertio de
voto venerabilium fratrum nostrorum, tunc suorum
Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, decretorum eius-
dem sacri Concilii Tridentini interpretum annuens, sta-

tuta , constitutiones , ordinationes , & capitula prædicta,
omniaque , & singula in eis contenta , & scripturas de-
super confessas cum omnibus , & singulis inde legitimè
sequutis dicta Apostolica auctoritate perpetuò approbavit,
& confirmavit , eisque perpetuę , & inviolabilis Aposto-
licę firmitatis robur adjecit , ac omnes , & singulos tam
iuris quam facti , & solemnitatum , ac alios quantumvis
substantiales defectus , si qui forsam desuper quomodo-
libet intervinerant , eadem Apostolica auctoritate supple-
vit , Decernens litteras desuper conficiendas semper , &
perpetuo validas , & efficaces fore , & esse , suosque ple-
narios , & integros effectus sortiri , & obtinere , at-
que ab Abate , Capitulo , Hospitibus probationis , Capel-
lanis , Collegialibus , cæterisque Collegiate Ecclesię ac
Sacri Montis hujusmodi personis , & Ministris , & aliis
quorum intererat , interesset , aut interesse posset quomodo-
libet in futurum inviolabilitę observari , & adimpleri de-
bere , nec ab illis seu earum ac statutorum constitutio-
num , ordinationum , & Capitulorum huiusmodi inviola-
bili observantia deflecti aut recedi posse , sicque , & non
alias per quoscumque Judices ordinarios , & delegatos
ac causarum Palatii Apostolici Auditores , necnon ejus-
dem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales , etiam de late-
re Legatos , & præfatæ Sedis Apostolice Nuncios iudica-
ti , & definiri debere , ac irritum , & inane quicquid

secus super ijs á quoquam quavis auctoritate scienter vel
ignoranter contingeret attentari, non obstantibus quibus-
vis Apostolicis ac in Synodalibus, provincialibus, & uni-
versalibus conciliis editis specialibus vel generalibus cons-
titutionibus, & ordinationibus, cæterisque contrariis qui-
buscunque. Voluit autem dictus Gregorius prædecessor
quod quoad collationem, & provisionem tam Abbatiae
quam singulorum Canonicatum & præbendarum præ-
dictæ Collegiatæ Ecclesiæ forma litterarum dicti Pauli
Prædecessoris desuper editorum servaretur. Nos autem
de absolutione confirmatione, approbatione, roboris ad-
iectione, defectuum suppletione, decreto, & voluntate
præmissis pro eo quod super illis literæ dicti Gregorij
Prædecessoris eius superveniente obitu confessæ non fue-
runt, valeat quomodolibet hæsitari, dictusque Petrus Ar-
chiepiscopus illorum frustretur effectu, volumus, & dicta
auctoritate Apostolica decernimus quod absolutio, con-
firmatio, approbatio, roboris adiectionis, defectuum sup-
pletio, decretum & voluntas Gregorij prædecessoris hu-
iusmodi perinde á dicto die quinto Kalen. Julij suum
sortiantur effectum, ac si super illis litteræ dicti Grego-
rij prædecessoris sub eiusdem diei date, confessæ fuis-
sent, prout superius enarratur. Quodque præsentes lit-
teræ ad probandum plene absolutionem, confirmationem,
approbationem, roboris adiectionem, defectuum supple-
tionem, decretum, & voluntatem Gregorij Prædecesso-

ris

ris huiusmodi ubique sufficient , nec ad id probatio-
nis alterius adminiculum requiratur. Quo circa dilec-
tis filiis Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Genera-
li Auditori , & Malacitani , ac Gadicensi officialibus se-
cundum voluntatem , & concessionem dicti Gregorii præ-
decessoris prædicto die quinto Kal. Julii emanatas per
Apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo , aut
unus eorum per se vel alium , seu alios easdem præsen-
tes litteras , & in eis contenta quæcunque , ubi , & quan-
do opus fuerit , ac quoties pro parte Petri Archiepisco-
pi , aut pro tempore existentium Abbatis , & Canonico-
rum dictæ Collegiatæ Ecclesiæ ; seu alicuius eorum fue-
rint requisiti solemniter publicantes , eisque in præmis-
sis efficacis defensionis præsidio assistentes , faciant auc-
toritate nostra easdem præsentes litteras , & in eis con-
tentia huiusmodi ab omnibus , ad quos spectat , & pro
tempore spectavit , inviolabiliter observari , ac Petrum Ar-
chiepiscopum , & pro tempore existentes Abbatem , &
Canonicos predictos illis pacifice frui , & gaudere , non
permittentes eos desuper quomodolibet indebet molesta-
rit. Contradictores quoslibet , & rebelles per sententias
censuras , & pœnas Ecclesiasticas aliaque opportuna iuris ,
& facti remedja , appellatione postposita compescendo , in-
vocato etiam adhoc si opus fuerit brachii secularis auxi-
lio. Nos enim Auditori , & officialibus predictis , ac
eorum cuilibet quoscunque molestatores perturbatores ,

con-

contradictores, & rebelles etiam per edictum publicum
 constituto summariè de non tuto ad eos accesu citandi, ac
 eis, & quibus, ac quoties inhibendum fuerit etiam per si-
 milem edictum quoad Archiepiscopos, & Episcopos sub
 interdicti ingressus Ecclesiæ: Quo verò ad alios inferio-
 res etiam sub censuris, & Ecclesiasticis etiam pæcunia-
 riis eorum arbitrio imponendis, moderandis, & appli-
 eandis pœnis, inhibendi, necnon eos quos censuras, &
 pœnas prædictas incurrisse constiterit eas incurrisse ser-
 vata forma ejusdem Concilii Tridentini declarandi, ac le-
 gitimis super his habendis servatis processibus, censuras, &
 pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravandi, reaggra-
 vandi, & interdicendi plenam, & liberam Apostolica
 auctoritate prædicta earundem tenore præsentium juxta
 voluntatem, & concessionem Gregorii Prædecessoris hu-
 jusmodi, concedimus facultatem, non obstantibus recol. mem.
 Bonifacii Papæ Octavi similiter prædecessoris nostri, qua-
 eavetur, ne quis extra suam Civitatem, vel Diocesim,
 nisi in certis tunc expressis casibus, & in illis ultra
 unam dietam à fine suæ Diœcesis ad judicium evocetur,
 seu ne Iudices à Sede Apostolica præfata deputati ex-
 tra Civitatem, vel Diocesim in quibus deputati fuerint
 contra quoscunque procedere, aut alii, vel aliis vices
 suas commitere audeant, vel præsumant, ac in Concilio
 generali de duabus dietis edita, dummodo ultra tres die-
 tas aliquis vigore earundem præsentium ad judicium non

trahatur, & aliis Apostolicis constitutionibus, ac omnibus supradictis, seu si aliquibus communiter, aut divisi ab eadem Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis, decreti, mandati, & concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimo tertio, octavo Idus Augusti, Pontificatus nostri anno primo C. Colinus. A. Fornellus. A. Davius pro computore N. Ponsardus. M. Deamatus. Loco.  Plumbi. Quibus quidem litteris Apostolicis in eorum proprio originali diligenter inspectis ad instantiam, & requisitionem Illustris, & R. D. Petri de Junco Archidiaco ni de Deza, & Canonici Ecclesiæ Lucens procuratoris, Abbatis, & Capituli Collegiatæ Ecclesiæ Sacri Mon tis Illipulitani propè, & extra-muros Granatensis Villas per Notarium publicum infrascriptum transumptari, & exemplari, & in hanc publicam transumpti formam redigi mandavimus, & fecimus, volentes, & auctoritate Curiæ nostræ statuentes ut præsenti publico transump

ti

ti instrumento , sive exemplo deinceps ubicunque locorum plena fides adhibeatur , illique stetur , ac si litteræ originales in medium exhiberentur , aut ostensæ forent , quibus omnibus , & singulis auctoritatem nostram ordinariam , & decretum interponimus per præsentes. In quorum omnium , & singulorum præmissorum fidem has præsentes fieri , & per Notarium subscribi , sigillique nostri quo in talibus utimur appensione muniri. Datum Romæ ex ædibus nostris Anno à Nativitate Domini nostri Iesu- Christi millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, Indic- tione octava , die verò decima octava mensis Ianuarii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris , & D. N. D. Urbani , divina providentia Papæ Octavi anno secun- do. = Camillus Melvius Lis. = Pro nomine Bernardini Pasqueti Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Notarii. = Augustinus Theulus Canoes.

the first time in the history of the world, the
whole of Europe, all the provinces of Asia,
and even Africa, were subject to the same
Emperor, and that he was the sole master
of the earth. This empire, however, did not
last long; for the people of the provinces
were not accustomed to be ruled by one
man, and they could not bear it. They
therefore revolted, and the empire was
broken up into many smaller states, which
have continued ever since. The empire
was at first divided into three parts, which
were afterwards joined together again, and
then divided again, and so on, till at last
it became very small, and was finally
broken up into many different states, which
are now called the "Kingdoms of Europe".

INDEX.

TITULORUM , QUI IN ANTERIORIBUS
statutis continentur.

<i>Titulus I. de Fundatione Ecclesiæ...</i>	Fol. 5.
<i>Titulus II. de Reliquiis, Libris, & Laminis Sacri Montis...</i>	Fol. 10.
<i>Titulus III. de Approbatione...</i>	Fol. 11.
<i>Titulus IV. de Elecione, & provissoне Abbatis, Canonicorum, Capellanorum, Collegialum, & aliorum Ministrorum dictæ Ecclesiæ...</i>	Fol. 12. b.
<i>Titulus V. de Residentia...</i>	Fol. 17. b.
<i>Titulus VI. de Patitur infirmorum...</i>	Fol. 22.
<i>Titulus VII. de Exercitiis spiritualibus, & divinis officiis.</i>	Fol. 23.
<i>Titulus VIII. de Distributionibus...</i>	Fol. 29.
<i>Titulus IX. de Abbatе...</i>	Fol. 32. b.
<i>Titulus X. de Officiis Ecclesiæ...</i>	Fol. 34. b.
<i>Titulus XI. de Præsidente..</i>	Fol. 36. b.
<i>Titulus XII. de Assistentibus, & consultis...</i>	Fol. 37.
<i>Titulus XIII. de Administratoribus, & administratione rei familiaris...</i>	Fol. 38.
<i>Titulus XIV. de Computatoribus...</i>	Fol. 42. b.
<i>Titulus XV. de Clavigeris, & Arca Depositi...</i>	Fol. 43. b.
<i>Titulus XVI. de Thesaurario, & Sacrista...</i>	Fol. 45.
<i>Titulus XVII. de Secretario Capituli...</i>	Fol. 46.
<i>Titulus XVIII. de Collectore, & Punctatore Collectorie...</i>	Id. b.
<i>Titulus XIX. de Domus Provisore, & Ministro...</i>	Fol. 48.
<i>Titulus XX. de Janitore, & Clausura...</i>	Id.
<i>Titulus XXI. de Magistro Cæremoniarum, & Cæremonijs...</i>	Fol. 49.
<i>Titulus XXII. de Capellanis, & sub Cantore...</i>	Fol. 50.
<i>Titulus XXIII. de Collegialibus...</i>	Fol. 51.
<i>Titulus XXIV. de Capitulo...</i>	Fol. 54.
<i>Titulus XXV. de Regimine Domus...</i>	Fol. 56.
<i>Titulus XXVI. de Archivio...</i>	Fol. 58.
<i>Titulus XXVII. de Privilegiis.</i>	Fol. 59.
<i>Titulus XXVIII. de Vita, & honestate Personarum Sacri Montis...</i>	Fol. 62.
<i>Titulus XXIX. de Pænis...</i>	Fol. 64.
<i>Titulus XXX. de Curatione infirmorum, & funeralibus...</i>	Fol. 66.
<i>Titulus XXXI. de Visitatione Sacri Montis...</i>	Fol. 68.
<i>Titulus finalis, de Juramento...</i>	Fol. 69.